BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
26 P
6

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
55
2 C
46
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
12
26 P
6

INSTITUTIONES
MEDICINAE PRACTICAE
QUAS
AD USUM JUVENTUTIS
DIGESSIT

PETRUS ALOYSIUS VALENTINI
IN ROMANA UNIVERSITATE PROFESSOR
IN NOSOCOMIIS S. SPIRITUS S. MARIAE DEMENTIUM
S. JOANNIS NATIONIS FLORENTINAE
MEDICUS PRIMARIUS
ET IN EORUM PRIMO PHYSIOLOGIAE LECTOR
AC PLURIUM ACADEMIARUM SOCIUS.

VOL. VI.

DE RETENTIONIBUS

ROMAE
Ex typographia Contedini 1837.
Ad Thermas Agrippae.

Digitized by Google

JOANNES BAPTISTA ROSANI

SCHOLARUM PIARUM VICARIUS GENERALIS

AD CLARISSIMUM

PETRUM ALOYSIUM VALENTINI

DE SUIS

MEDICINAE PRACTICAE INSTITUTIONIBUS

EPIGRAMMA

Omne tulit scriptor si, Flacco judice, punctum,
Qui res aequipari pinxerit eloquio,

Libris, Petre, tuis equidem potes ire superbus,
Queis usum medicae pandis et artis opes;

Tanta etenim vis rebus inest, Sapientia tanta,
Ipsa ut ab Hippocratis mente venire putem;

Sermo autem tam lene fluit, tantumque nitescit,
Celsinam ut spiret pagina cuncta manum.

Quare agite in lucem properate, volumina; passim
Vos docti excipient, corde favente, viri;

Invida nec vestras carpent oblivia laudes,
Donec erit studiis gratia, fama, decus.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLASSIS SEXTA

RETENTIONES

GENERALIA DE RETENTIONIBUS

§. 1138. Ut profluvia fluentibus, sic retentiones retentis praeter naturae legem contineri arbitramur. Non enim omnes ita sentiunt, maxime recentiores, qui plurimas invaletudines retentionibus adscribunt, quae ad has pertinere nullo modo videntur, ut varices, aneurysmata, haematocele, cirsocele, fungus haematodes, sarcoma, sarcocele, polypus, epulis, scrophula, bronchocele, scirrhus, cancer, exostosis, paedarthrocace, spina ventosa, osteosarcosis, etc. Equidem ejusmodi morbi vel a particularibus diathesibus, vel ab organorum vitiis, aliisve nascuntur affectibus. Et quamvis hos excipiant retentiones, hae nunquam ut primariae habendae sunt, utpote aliorum morborum ef-

fectus. Idcirco ut mea est opinio, ad retentiones non attinent nisi morbi, qui vel a praepedita separatione humorum a sanguine, vel a retentione humorum jam secretorum, et excernendarum substantiarum proficiscuntur. Quoniam vero in humano corpore saepissime evolvuntur viventia, ut vermes; et effinguntur heterogeneae substantiae, ut illae cartilagineae et osseae in articulationibus, et in reliquis partibus calculi, a quibus, nisi detrudantur, plus vel minus laeditur sanitas; hinc tam vermes, quam corpora cartilaginea et ossea articulationum, caeterarumque partium calculos retentionibus appingimus, etsi strictim ad has non pertineant.

§. 1139. Secretiones humani corporis vel recrementitiae sunt, si quod secernitur in internas effunditur cavitates, absorbetur, et iterum transvehitur in circulum, ut serum, adeps, synovia; vel excrementitiae, si secretae materiae corpore sunt exigendae. Ex separationibus excrementitiis aliae purificationi ipsius corporis inserviunt, ut illa urinae, et insensibilis perspirationis; aliae

aliarum functionum complemento, ut illa muci, lacrymarum, salivae, bilis, spermatis, lactis. Secretiones quarumdam glandularum et viscerum cum ipsa vita inchoant, et quandiu ea duret, perstant, ut illa cutis, pulmonum, renum, hepatis, glandularum lacrymalium et salivalium; aliae vero nisi certis vitae temporibus non perficiuntur, ut illa menstruorum, lactis, spermatis. Aliae igitur assiduae sunt, aliae periodicae. Singulae autem a morbosis causis saepissime obscuris, minimeque intellectis ex facili perturbantur, continenturque. Hinc plurimae oriuntur aegritudines variae formae et ominis, pro majore vel minore secretionum et excretionum momento, organorum affectorum natura, caussarum vi, sympathiis, aegrorum temperamento, vitaeque genere. Quaedam igitur retentiones absque fere valetudinis laesione sustinentur; quaedam perniciosae sunt, et saepe numero vitam in extremum adducunt. Quandoque vero defectui unius alia supplet secretio, a qua analogus secernitur humor, ut deficienti insensibili perspirationi copiosior urina, et viceversa, ac tum sanitas non offenditur.

§. 1140. Retentiones in primarias, symptomaticas, secundarias, consensuales dividuntur. Primariae nascuntur a caussis, quae in organa secernentia et excernentia operantur; symptomaticae, et secundariae ab aliis morbis; consensuales a partium sympatheia. Retentiones primariae vel acutae, vel chronicae dicuntur, prout breves, vel diuturnae sunt. Quoniam vero vel ab augmento virium vitalium, et exuberantia stimulorum; vel a virium infirmitate, et stimulorum defectu producuntur, in activas etiam, et passivas tribuuntur. Denique retentiones ut universales morbi habendae sunt, si ab affectu universi systematis; ut locales, si a vitio alicujus organi dependent. Secundum autem humorum, et substantiarum retentarum naturam, retentiones vocantur aëreae, serosae, mucosae, adiposae, cruentae, etc.

§. 1141. Characteres retentionum aut generales, aut particulares sunt. Primi deducuntur ab organorum perturbatione, in quibus secretio aut excretio non absolvitur; a mutatione substantiarum, quae praeternaturaliter continentur; a subversa proportione

inter sanguinem et humores, qui ab eo segregantur, quod quidem deprehendi non potest, nisi cum praeter modum istorum humorum augetur vis, ut seri, bilis, adipis. Plura inde suscitantur foenomeua, quae vel ab humoribus non secretis, vel retentis, vel ab eorum absorptione proveniunt, ut sunt pressiones vicinarum partium, irritationes, solidorum fluidorumque depravationes. Characteres autem particulares uniuscujusque retentionis proprii sunt, de quibus fuse loquemur, speciatim circa retentiones disputaturi. Aliquid tamen de praecipuis dicendum est.

§. 1142. Dum in robustis hominibus cruentae retentiones contingunt, ob auctam sanguinis copiam, plethorae verae comparent foenomena. Desideratur circulationis aequalitas, quae servatur, donec conveniens sanguinis quantitas a vi cordis et arteriarum propellitur in venas, ut iterum redeat ad cor; saepe majore copia ad aliquod viscus transilit sanguis; a nimia plenitudine opprimitur vasorum systema, et hinc palpitationes cordis, spiritus difficilis, in somnum pro-

propensio, vertigines, generalis lassitudo et inertia, praecordiorum anxietates, et non raro dilatationes et rupturae vasorum consequuntur. Ubi autem insensibilis perspiratio consistit, utpote functio ad purificationem corporis apprime necessaria, mutatur humorum crasis; siccescit cutis, cujus sensus minuitur; adest segnities ad motum; intumescunt partes; affectiones rheumaticae, inflammationes viscerum, et ob consensum cutis cum membrana mucosa pulmonum, saepe morbi pectoris nascuntur. Si autem a suis fontibus non scaturiant salivae, nec alimenta probe dissolvuntur, nec eorum percipitur sapor, nec prompte expletur digestio; unde ructus, nausea, sensusque repletionis molestat; nutritio languet, siquidem chylus tenax et crudus in sanguinem et humores ab eo manantes non expedite convertitur; et etiam obstruuntur mesenterii glandulae. Eadem fere foenomena in defectu humoris pancreatici, salivae similis, consequi debent. Et quoniam ejusmodi humor bilis acrimoniam emendat, dum ipse deest, dolores, diarrhoea, aliaque superveniunt incommoda,

quorum origo non sine negotio deprehenditur. Si lacrymarum scaturigines exiccantur, oculi irritantur, et inflammantur, eorumque naturalis nitor obscuratur; siquidem lacrymae motus globi oculorum expeditiores reddunt, eumque ab extraneis corporibus facile adhaerentibus vindicant. Si vero lacrymae in sacco lacrymali aggerantur, hujus nascitur hydrops, aut hernia. Cum autem sistant separationes muci, pro diversis usibus, quibus famulatur, varia prodeunt mala. Sic dicendum, si secretus mucus nimis concrescat et congeratur, ut in naribus offenditur odoratus et respirationis libertas; in auribus producitur surditas. Ubi in textu cellulari coacervatur adeps, dimittitur partium proportio, gravis fit respiratio, tardi sunt motus, magna ad apopleziam adest proclivitas. Haec morbosa pinguedinis collectio affectum constituit, qui dicebatur polysarcia, et hodie aptiore forsan nomine polypionia vocatur. Si vero bilis non secernitur a sanguine, aut in propriis ductibus clauditur secreta, appetitus deest, cumulantur cruditates, comprimitur al-

vus, apparet icterus, et humores vel a resorpta bile, vel a defectu boni chyli depravantur. Si urina vel in renibus, vel in ureteribus, vel in vesica urinaria retinetur, acrior fit, et ab ejus irritatione dolores, spasmi, convulsiones, inflammationes gignuntur. Si per nimiam vesicae et ureterum plenitudinem urinae secretio reprimitur, illa inundat sanguinis massam, vehitur ad viscera, praesertim ad cerebrum, ubi per compressionem sopor, et apoplexia; per irritationem delirium, spasmi, et convulsiones lethales excitantur. A retentione spermatis, ut plurimum non nascuntur mala, quin ab absorptione hujusce humoris robur augeri videtur; tamen quandoque cirsocele, spermatocele, seu hernia spermatica producitur. Saepe mulieres aut totali menstruorum suppressione laborant, quae dicitur amenorrhoea, aut difficili illorum fluxu, qui dysmenorrhoea vocatur. Ex utraque affectione exoriuntur pathemata, de quibus suo loco sermonem habebimus. Subinde in virginibus in uteri cavitate colliguntur menstrua, cum scilicet hymen horum exitum inhibet; tum in-

tumescit abdomen, et extra vulvam prominet hymen. Plura etiam mala a secretione lactis intempestive compressa oriri possunt, nisi opportunae adhibeantur cautelae. Humores enim qui traducebantur ad mammas, ad alias partes trajiciuntur. Praeterea metastases lacteae possibiles sunt, utpote gravissimorum auctorum confirmatae, licet plures recentiores eas admittere recusant; siquidem resorptum lac suam indolem amittit, et per sudoris, urinaeque vias egreditur. Tandem si cumulantur faeces, intumescit venter, et praesto sunt nausea, cibi fastidium, digestionis vitia, sensus plenitudinis, praepeditus diaphragmatis motus, compressiones fibrarum, vasorumque intestinalium, unde repletiones et dolores capitis, vertigines, gravis respiratio, flatus et anxietates molestant. In hanc alvi duritiem plus rubusti, quam debiles incidunt. In primis faeces sunt aridissimae, et hinc vexant dolores, colicae, haemorrhoidalis affectio, cum sanguis caussa compressionis per truncum venae haemorrhoidalis ascendere nequeat; in aliis ob languescentem fibrarum actionem morantur fae-

ces quae nunquam tam aridae sunt, quia humidae partes segniter ab alimentis extrahuntur. Hae sunt praecipue et frequentiores retentiores, quarum peculiaria foenomena majore vel minore perspicuitate manifestantur. Aliae vero sunt minoris momenti; aliae quae in penitioribus partibus obtingunt, lenteque procedunt, et ideo aut abduntur, aut post longum temporis spatium revelantur.

§. 1143. Caussa proxima retentionum consistit aut in cohibita separatione humorum a sanguine, aut in stagnantibus secretis humoribus, variisque substantiis, quae vel in ductibus, vel in aliqua cystide, vel in glandulis, vel in visceribus retinentur. Caussae remotae frequentiores sunt quae statum virium vitalium organorum secernentium et excernentium perturbant, ut animi pathemata vel incitantia, vel deprimentia; vitae genus; aëris qualitates; etc. Veteres, ut illas caeterarum aegritudinum, eas in chemica humorum natura, in materiis densioribus, in viscosis lymphis collocabant. Quandoque vero improbabile non est, quod primitus afficiantur fluida, et caussam reten-

tionibus foenerent , ut dum per alimentorum et potionum naturam , aut per chemicam actionem alicujus substantiae , a naturalibus qualitatibus deflectunt. Sed frequentius et facilius a caussis , quae vitales proprietates tentant , folliculi, glandulae, membranae, viscera commoventur. Innumera sunt organa , quae admirabili artificio secretionum et excretionum ordinem assidue conservant ; donec aliqua ex expositis caussis non adveniat, ut folliculi simplices per textum cutaneum dispersi, inter quos sebacei humorem unctuosum secernentes , maxime in quibusdam partibus , ut sunt axillae , inguines , palpebrarum margines ; caseosi circa glandem , et labia vulvae ; ceruminosi ductus auditorii externi ; mucosi membranarum mucosarum, qui varios mucos separant: glandulosa corpora horum folliculorum simplicium glomeramine composita , ex quibus elicitur mucus plus minusve affinis , ut sunt tonsillae, carunculae lacrymales , prostata , glandulae cowperianae : membranae quae pro sensibilitatis ratione dissimiles segregant humores, ut cutis humorem perspirabilem ; textus cel-

lulosus fluidum subtile, et adipem; membranae medullares medullam; serosae quae corporis cavitates circumdant serosum laticem; mucosae diversos mucos; synoviales synoviam: viscera multiplicibus separationibus dicata. Ab horum etiam organorum affectibus, ut sunt obstructiones vasorum, glandularum, viscerum; praeternaturalis partium conjunctio; membranarum crassities; compressiones; prava structura; polypi; etc.; retentiones proficiscuntur, quae potius symptomaticae sunt, utpote ab aliis morbis, et organorum vitiis, aut ab aliqua diathesi productae.

§. 1144. Cum tot separationes, quae ad animalis oeconomine conservationem consecrantur, non aequalis sint ponderis, parum in universum de earum praesagio et curatione statui potest. Quo igitur majoris momenti separationes sunt, eo praviores harum retentiores judicantur. Si vero defectui unius altera suppleat secretio, removetur discrimen. Memini nobilem mulierem usque ad sexagesimum quartum aetatis annum incolumen vixisse, quamvis omnino cutanea perspira-

tione orbatam ; sed omni tempore copiosissimas urinas reddiderat. Cutis vero erat assidue arida et aspera , et saepe saepius desquamabatur epidermis. Asperrimis denique symptomatis pervicacissimae affectionis hystericae perempta , in ejus cadavere omnia viscera secundum naturalem statum inventa fuere. Sed ubi deficientis secretionis vices alia non expleat , modo plus modo minus timendum est. Dum ex. gr. insensibilis perspiratio consistit , saepe membrana mucosa pulmonum afficitur , et hinc aliquando catarrhalis affectio simplex, aliquando inflammationes pectoris oriuntur. Insuper alia expendenda , ut caussae , quae modo leves , modo graves sunt , nec facile amovendae ; organorum natura ; irritationes consensuales; partium vicinarum compressiones; mala , quae excipiunt , aut excipere possunt ; sed prae caeteris humorum et materiarum retentarum indoles , et virium vitalium conditio. Maxime enim vereri debemus , si ingens sit universalis infirmitas , aut quaedam principia maneant in sanguine, aut quidam humores absorbeantur. Ab urina

ex. gr. non secreta, vel retenta inficitur humorum crasis, compressiones lethales, irritationes, spasmi, inflammationes nobiliorum viscerum, ut cordis, pulmonum, cerebri, superveniunt.

§. 1145. Generalis retentionum curatio ab examine caussarum praecipue deducitur. Et quoniam caussa frequentior est augmentum vel extenuatio vitae, virium, hinc curandi ratio vel incitans vel debilitans est. Prima in victu nutrienti et digestu facili; modica corporis exercitatione; animi quiete; et prudenti remediorum roborantium, et stimulantium usu: altera in sanguinis missionibus; victu tenui; animi et corporis tranquillitate; abducendisque stimulis consistit. Sed unde augmentum, vel imminutio virium ortum habeat, inquirendum est. Ab animi pathematibus vario modo afficitur organorum vitalitas, ut ab ira augetur secretio bilis, et illa salivae cohibetur, unde arescit os, a subitaneo terrore reprimitur separatio lactis, quae interdum non restituitur. Sed quodvis sit pathema, curandum in primis est, ut redeat animi quies. Si autem

retentionum caussa in humoribus existat, videndum quae ipsa sit. Dum ex. gr. a nimio sanguine insensibilis perspiratio compescitur, venae sectio praesentissimum remedium est; dum ab urina acriori reddita irritantur organa, et inde vel ea retinetur, vel difficile redditur, maxime subveniunt quae tam acres qualitates corrigunt. Veteres in curandis retentionibus affecta organa praecipue respiciebant, et saepe ab ipsis empirica instituebatur curatio. Etenim medicamenta specifica, variis nominibus secundum eorum potentiam insignita, adhibebantur, ut hydragoga, quae aquas hydropicorum ejiciunt; emmenagoga, quae sanguinem menstruum foeminarum subsistentem promovent; sialogoga, quae dum ductus excretorios glandularum salivalium stimulant, salivationem cient; lithonthryptica, quae atterunt et comminuunt renum, vel vesicae urinariae calculos; etc. Hujusmodi remedia licet interdum utilia sunt, saepe effectu carent, aut nocent, nisi caute usurpentur, variique distinguantur casus, in quibus emolumento esse possunt. Aut enim praeter modum stimulant, et ipsam retentionum caus-

sam augent ; aut eorum effectus fugax est, quia non abigunt morbi caussam ; aut immodica inducunt profluvia, et alia gravia symptomata, ut mulieribus nonnunquam evenit, quae ad subsistentia menstrua promovenda improvide emmenagogis utuntur ; aut illis, qui ad salivationem excitandam absque cautela mercurium sumunt ; aut qui ad conterendos, expellendosque calculos deglutiunt lithonthryptica, a quibus non raro mictus cruentus, aliique perniciosi effectus producuntur. Denique si retentiones a localibus vitiis oriantur, haec per medica vel chirurgica auxilia abripiantur. Sed haec saepe aut nullam habent vim, aut in usum vocari nequeunt, quia partes affectae reconduntur. Sic si retentiones vel febrium, vel aliorum morborum offerunt symptoma, praesertim in primarium morbum eligantur medicamina.

§. 1146. Cum nobis de retentionibus speciatim disputandum sit, necesse est, ut statuatur ordo. Quoniam, ut diximus, separationes omnes, quae per multiplices caussas retineri possunt, aut recrementitiae, aut excrementitiae sunt, quae vel purgationi cor-

poris, vel aliis usibus inserviunt; et saepe in nobis heterogeneae creantur substantiae, quae nisi resolvantur, aut eliminentur, plus vel minus eliditur sanitas; hinc morbos hujusce classis in quatuor ordines distribuimus. In primo retentiones separationum recrementitiarum ; in secundo retentiones separationum excrementitiarum, quae corporis purgationi dicantur; in tertio retentiones separationum excrementitiarum alicui usui famulantium ; in quarto retentiones substantiarum heterogenearum comprehendimus. In hisce autem ordinibus genera et species collocantur. Hac ratione dum ipsum sectamur naturae ordinem , juventuti , cujus dirigimus gressus , viam ad cognoscendas et curandas retentiones praemonstrabimus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ORDO PRIMUS

Retentiones substantiarum recrementitiarum.

GENUS PRIMUM

Pneumatosis.

§. 1147. Pneumatosis vel ab externo aëre in corporis partes immisso et clauso, vel a flatibus in illis extricatis, retentisque constituitur. Inquit Hippocr. lib. de flatibus = Corpora enim omnia tum hominum, tum reliquorum animantium a triplici nutrimento sustentantur. Horum autem nutrimentorum nomina haec sunt, cibus, potus, spiritus. Ac spiritus quidem qui in corporibus sunt, flatus vocantur; qui vero extra corpora existunt, aër. Qui sane maximus est in omnibus, quae corpori accidunt, et auctor et dominus. Quare operae praetium est ejus potentiam diligentius perspicere = Equidem nemo inficiari potest, quin externus aër et flatus plurimis morbosis foenominis ansam foenerent, sicut post divinum praeceptorem

amplissimorum virorum auctoritate confirmatur. Quidam tamen, inter quos Zeviani, in hac re dissentire videntur. Pleraque vero pars convenit, non adesse corporis locum, in quo devolvi non possint flatus. Graeci et Arabes ventosos tumores inter tendines, aut sub periostio recognoverunt. Alii aut simplices flatus, aut sero immixtos inter cohaerentes partes et spatia explicari observarunt. Sic in caeteris partibus tam internis quam externis fluidorum aëriformium existentia satis fuit comprobata. Sed arduum est quomodo haec fluida producantur exponere. Quidam recentiores physiologi prodiderunt opiniones omnino hypoteticas. Alii enim horum fluidorum ordinatam separationem et respondentem absorptionem statuunt, ab illa seri non dissimilem. Ad hunc scopum imaginati sunt vasa, quae in textu celluloso originem et finem habent. Alii autem suspicantur aëreos tubulos adesse, tracheis vegetabilium similes, qui fluida aëriformia ad cavitates transvehant. Sed hujusmodi vasa et aërei tubuli non sunt adhuc nisi imaginationis figmenta. Tractu temporis assiduis

investigationibus aliquid forsan certioris de hoc spectabili argumento statui poterit. Quamobrem non aliud nobis superest, nisi aegritudines vel ab aëre externo in corporis partes inducto et clauso, vel a flatibus in hisce evolutis contentisque profectas contemplari. Et quoniam pneumatosis in cavitate cranii, pectoris, abdominis; in textu celluloso subcutaneo; inter membranas et tendines; sub periostio; in vasis sanguineis, et lymphaticis; in visceribus; et ut verbo dicam in omnibus partibus contingere potest, plurimas esse ejus species, evidens est. Nos vero de praecipuis et evidentioribus disseremus, illas relinquendo, quae nec probe perspectae, nec satis probatae sunt, ut exomphalus flatulentus Heisteri, qui est collectio cystica fluidi aëriformis ad umbilicum; oscheocele flatulenta, seu pmneumatocele auctorum, quae etiam est collectio cystica hujusce fluidi in scroto, quod inde extuberat. Exordiendum itaque est ab illa pneumatosi, quae in textu celluloso subest, nomine emphysematis vocata.

§. 1148. Textus cellulosus, caeteris amplior, inservit usibus maximi momenti. Panditur sub cute, internas pervadit partes, ambit seque immittit in viscera et glandulas, multiplices membranas constituit, vasa nervos canales circumcingit. Pro variis partibus est plus minusve copiosus, compactus, adipe uber. In ipso secernitur albumirosum serum, quod in statu sano servata proportione absorbetur; in suis receptaculis adeps; et etiam flatus evolvuntur. Praeterea hic textus communicationem inter longinguas partes servat, aliisque dicatur usibus, de quibus modo non loquar. Non raro ejus functiones violantur, et hinc plures oriuntur primarii morbi. Qui vero ad retentiones spectant, sunt polypionia, cum scilicet praeter modum cumulatur adeps; anasarca, cum serum non congruenter absorbetur; emphysema, cum hujus textus cellulae fluido aëriformi implentur et distenduntur. De hoc prius dicendum est.

§. 1149. Emphysema est aëris collectio in celluloso textu, ex qua oritur cutis tumor mollis, indolens, elasticus, pressio-

ne crepitans. Hoc nomen deducitur a verbo εμφυσάω inflo. Dividitur emphysema in primarium, symptomaticum, et traumaticum; universale, et partiale; simplex, et complicatum. Primarium oritur a caussis, ex quibus fluida aëriformia extricantur et continentur; symptomaticum ab aliis morbis, ut gangraena, dysenteria, scorbuto, variolis, rachitide; traumaticum ab externis caussis, quae modo apertae sunt, ut vulnera, insectorum morsus, etc. modo non evidenter constant. Dicitur universale, cum totum pervadit corpus, et saepe ad ingens et monstruosum gliscit volumen, ut illud est a quibusdam venenis productum; partiale cum aliqua parte circumscribitur, ut capite, collo, pectore, abdomine, extremitatibus. Est simplex, si a flatibus; complicatum, si a flatibus alicui humori, praesertim sero, immixtis manat. Hisce differentiis a Nosologis additur emphysema artificiale, quod simulate et improbe sibi comparant, qui stipem rogant. Guineenses etiam id exequi ad rheumatismum, et tabem curandam, dicuntur. Cum emphy-

sema in singulis partibus devolvi possit, quia cellulosus textus ubique diffunditur, pro partium differentia, varia esse debent symptomata, nobis consideranda.

§. 1150. Emphysema universale cognoscitur tumore totius corporis; motuum, respirationis, circulationis, secretionum et excretionum difficultate; crepitu, si distenta cutis percutiatur. Subinde tale est respirationis negotium, ut suffocatio timenda sit. Volae dumtaxat manuum et pedum immunes sunt. In cellulis fere cellulosi textus cumulantur fluida aëriformia; sed interdum in internas partes sibi aperiunt vias, ut sectiones cadaverum comprobarunt. Emphysema autem partiale non solum a generalibus characteribus, sed a laesione functionum partium affectarum deprehenditur. Ubi circa vitalia sedet, praeter maximam respirationis et circulationis molestiam, suffocationem afferre potest. Saepe flatuoso tumori obnoxia sunt ubera, qui a Sauvages mastodynia emphysemàtica dicitur. Adest hic tumor cum tensione partis, quin glandulae tumeant, dolens, elasticus, cutis concolor,

concussu resonans. Dum instant menstrua augetur dolor; qui imminuitur dum cessant. In mulieribus hystericis crurum emphysema non est infrequens, quod non circa vesperam, ut oedema, sed matutinis horis visibilius est. Illud etiam palpebrarum non est insolens, ex quo clauduntur oculi. Quin hic tumor producatur ab aëre, dubitari non potest, nam saepe apparet, et paullo post evanescit. Ad partialia emphysemata tumores pertinent, qui a Nosologis nuncupantur ventosi. Eorum signa non semper perspicua sunt; etsi ventosi videantur, longe dissimile habent ingenium. Amatus Lusitanus secuit tumores, quos ventosos putabat; sed una cum flatibus exsiluit sanguis, et una cum sanguine aegrotantium anima. Ex ipsa auctoris descriptione liquet, hujusmodi tumores fuisse aneurysmata. Quandoque tamen clara sunt signa, et dum ventosi tumores scinduntur, solus egreditur aër. Traumaticum emphysema gignitur ab externo aëre, qui in textum cellulosum subcutaneum irrepit, et calore expanditur. Per vulnera penetrantia pectoris, vel per co-

starum fracturam, non solum aër in illius cavitatem intrat, sed etiam in membranam adiposam cutis, ubi expansus et rarefactus tumorem inducit, qui ad caput, aliasque partes extenditur, unde emphysema fere universale evadit. Denique dum est symptomaticum, in cursu morborum vel acutorum vel chronicorum in conspectum venit. Ab expositis signis emphysema ab anasarca, tumoribusque non ventosis distinguitur. In illo enim tumor est elasticus, concussione resonans, compressione foveam non retinens, et urinae de more redduntur. In anasarca vero praeter majus corporis specificum pondus, concussus tumor sonum non edit, compressus conservat foveam, et urinae praeparcae fiunt. Sic si in tumoribus desint emphysematis characteres, ut ventosi habendi non sunt.

§. 1151. Caussa proxima emphysematis primarii est fluidorum aëriformium morbosa secretio, cujus ratio ignota est. Quidam sunt ad hunc morbum vel universalem vel partialem magis parati, ut adulti plus quam adolescentes, et inter illos plus debiles et

macilenti, quam robusti et carnosi. Plures sunt excitantes caussae, sed non semper evidentes. Generatim dicitur vel a debilitate virium, quod saepius, vel ab earum robore nasci. Hinc ut aliae pneumatoses in hyposthenicum, et hypersthenicum dividitur. Hoc valide temperiei proprium est, et ut plurimum ab aliqua deficiente et consueta saguinis exinanitione nascitur, ut in mulieribus a menstruorum defectu; illud contra est infirmi corporis habitus proprium, et ab immodicis laboribus, victu parum nutriente, frigore, humiditate, malefico coelo, et enervantibus animi pathematibus procedit. Sunt insuper quaedam adnotandae caussae, ut substantiae veneficae; humores in textu celluloso collecti. Ab esu fungorum universale emphysema observavit Alibert, maxima violentia explicatum, et post mortem auctum. Saepe ventosi tumores a purulentis materiis, et mortificationibus, a quibus emittitur aër, exoriuntur. In putrescentibus cadaveribus in variis partibus et viscerum superficie frequentissime inveniuntur vesicae, aëre foetidissimo oppletae. Emphysema symptoma-

ticum frequenter oritur a febribus, inflammationibus, exanthematibus, convulsivis affectionibus. Traumaticum, ut diximus, a caussis externis saepe evidentibus, ut sunt vulnera, fracturae, luxationes, ictus, lapsus, morsus insectorum, chirurgicae operationes; interdum obscuris, sed ita externos textus laedentibus, ut facile externus aër in eos penetret, ut sunt violenta corporis exercitatio, nisus in elevandis, gestandisque ponderibus, conatus, difficilis partus, immoderatus labor.

§. 1152. Praedicitur emphysematis eventus, si caussas, symptomata, et loca ubi illud considet, contemplemur. Si igitur universale sit; gravissima symptomata, ut maxima respirationis molestia; caussae non subigendae, ominosum est et lethale. Contra si nec caussae, nec symptomata tam acerba sint; nam interdum progressu temporis destruitur et disperditur aër. Emphysema partiale externarum partium, si solum ab harum debilitate nascatur, cito evanescit, ut illud palpebrarum. Sed si internas partes teneat, ut vitae organa, cerebrum, cerebellum,

majora vasa, saepe lethale est. Ventosi tumores a materia in textum cellulosum diffusa geniti sanantur, si illi comparetur exitus. Eventus autem emphysematis symptomatici a primario morbo dependet. Ideo infausta erit praesagitio, si primarius morbus sit exitiosus, et emphysema universale. Emphysema traumaticum maxime periculosum est, si ad viscera nobilia et organa vitalia extendatur. Si vero haec viscera non opprimat, bene curetur, aër per vias abeat, quas illi ars sternit, vel decomponatur, vel, ut verisimile est, a vasis lymphaticis absorbeatur, morbi eventum faustum fore dubitandum non est.

§. 1153. Secundum caussas componantur remedia. Sed saepissime retento aëri exitus conciliandus est. Incidantur ideo loca emphysemate affecta, premantur manu, et etiam super incisiones applicentur cucurbitulae. Remedia externa pro variis caussis, et symptomatis varia sunt. Relaxantia si cruciat dolor, et molesta distensio, ut unctiones oleosae. Si caussa sit partialis debilitas, fomenta humida ex vino; deco-

ctione corticis peruviani, quercus, herbarum aromaticarum, ut chamomillae, anethi, sufficiunt. Mastodynia emphysematica, seu ventosus mammarum tumor a defectu, vel inopia menstruorum productus, non solum hisce medicamentis curatur, sed etiam illis, quae menstrua subsistentia promovent. Tumores emphysematici a curruptis stantibusque materiis orti, sanari possunt si his detur exitus; et ubi emphysema discussum sit, super relaxatas partes tonicae frictiones conferunt, et interdum fasciae, quae eas fulciant. Si emphysema symptomaticum sit, expediunt praesertim in primarios morbos medicamina. Si traumaticum, quandoque praecaveri potest, si nempe ab externis laesionibus, accessus aëris repellantur. Dum vero efformatum sit, quamvis interdum sponte discutiatur, continuo tamen per easdem vias, per quas penetraverit immissus aër, extrudendus est. Illae igitur dilatentur ferro, aut telae cellulosae incisiones fiant, et tumidae partes stringantur digitis, et versus aperturas comprimantur. Etiam ubi oportet super scarificationes apponuntur cucurbitulae.

Si aër per obliquum vulnus in cavitatem pectoris intraverit, ut egrediatur, dilatandum est. Si vero aeger plethoricus sit, et urgeat dyspnoea, mittatur sanguis et adhibeantur laxantia. Postremo si dyspnoea perseveret, et summa sit anxietas, et vita in discrimen veniat, fieri poterit paracentesis, a multis laudata, feliciterque peracta. Progrediamur modo ad alias pneumatosis species.

§. 1154. In tubo alimentario pneumatoses frequentes sunt. Oesophagi emphysema generatur a vulnere; sed in eo devolvitur et retinetur aër aliorum morborum caussa, ut sunt spasmodicae affectiones, ex quibus constringitur oesophagus, et hinc ejus ingentes dilatationes. In ventriculo vero et intestinis a plurimis caussis producuntur flatus, ut a quibusdam alimentis et potionibus; depravatis digestionibus; faecibus consistentibus; spasmodicis affectibus. Flatus aut claduntur et distendunt ventrem, aut moventur et obstrepunt, et cum levamine sursum vel deorsum expelluntur. Sed quia saepe reproducuntur, plura afferunt incommoda, ut difficilem spiritum, palpitationes cordis, an-

xietatem, vertigines, nauseam, propensionem ad vomitum, pulsus inaequales. Et dum flatus nec dissipantur, nec emittuntur, ventosi abdominis manifestantur tumores, ut meteorismus, et tympanites.

§. 1155. Meteorismus est fere morborum symptoma sive acutorum, sive chronicorum, ut typhi gravis, chronicae dysenteriae, febrium gastricarum, affectionis hypochondriacae et hystericae, hydropis, etc; sed interdum primarius est. Si ventosus tumor occupet epigastrium, ventriculi meteorismum constituit; si universum abdomen, illum ventriculi et intestinorum, quae plus vel minus distenduntur, et modo in una modo in alia abdominis parte suscitantur dolores; adest nausea, inappetentia, spiritus gravis; quae symptomata aut leviora aut graviora sunt. Magis vergunt ad primarium meteorismum homines debiles, tristes, pituoso et phlegmatico corporis habitu praediti, et qui alias aegritudines, praesertim graves ex vasis haemorrhoidalibus sanguinis exinanitiones, perpessi sunt. Excitantes vero caussae frequentiores sunt debilitas, maxime tubi ali-

mentarii; pravae digestiones; usus ciborum inflantium, et succorum digerentium inertia.

§. 1156. Meteorismus primarius est plerumque brevis tumor, nec ab ipso tam distenditur abdomen, ut a tympanite. Absque difficultate submittitur, si nascatur a caussis facile amovendis, ut ab usu quorundam alimentorum et potionum. Sed si caussae persistentes sint, ut temperamentum pituitosum, vitium succorum digerentium expedite revenit. Cum vero meteorismus symptomaticus sit, subinde fugax est, ut in affectione hypochondriaca et hysterica, licet saepe revertitur; subinde gravis, et infaustum offert indicium, ut in vigore febrium acutarum, cum alia gravia symptomata in conspectum veniunt.

§. 1157. Perspectis caussis, statuitur curatio. Ergo si meteorismus a gastricis sordibus pravisque humoribus oriatur, subveniunt purgantia levia; si a defectu menstruorum, quae haec restituunt; etc. Et ut morbus non reveniat, caussae vitentur. Sed quia caussa frequentior est ventriculi et intestinorum debilitas, praeter levia purgan-

tia, fotus, semicupia, clysteres ex decoctione chamomillae, juvant stomachica, martialia, carminativa, tonica, ut vinum meracum; liquor anodynus min. Hoff. in aqua stillatitia foeniculi, aut chamomillae; semina anisi; cinnamomum; extractum baccarum juniperi. Alimenta sint nutrientia, concoctu facilia, minimeque inflantia. In meteorismum autem symptomaticum pro primarii morbi natura auxilia differunt.

§. 1158. Tympanites est aërea et diutina abdominis inflatio, quod tam protenditur, ut percussum, instar tympani resonet. Distinguitur in intestinalem, abdominalem, emphysematicum; primarium, symptomaticum, secundarium; hypersthenicum, et hyposthenicum; simplicem, et complicatum cum ascite, qui tympanites asciticus vocatur. Intestinalis communior est, et ab aëre in ventriculo et intestinis collecto, aut solum interdum in ventriculo, vel intestinis proficiscitur. Abdominalis rarior est, et ab aëre in cavitate abdominis evoluto nascitur. Emphysematicus rarissimus est, et ab aëre inter intestinorum tunicas aliorumque visce-

rum expanso inducitur. Primarius oritur a suis caussis ; symptomaticus ab aliis morbis , ut ab obstructione viscerum abdominalium , hernia incarcerata , vermium glomeramine ; secundarius excipit morbos, qui ingentem debilitatem praesertim ventriculi et intestinorum relinquunt , aut in ipsis organicam mutationem inferunt , ut praegressae phlogoses , quae intestinorum canalem indurescunt , aut restringunt diametrum. Hypersthenicus a vigore et actione aucta potissimum alimentarii tubi ; hyposthenicus ab atonia ortum habet. A quibusdam alia additur differentia , scilicet tympanites acutus , cujus cursus brevis est , et febre , aliisque gravibus symptomatibus stipatur. Hic vere interdum evenit , et mihi in nosocomio S. Spiritus semel observare contigit.

§. 1159. Generalia signa quibus dignoscitur tympanites sunt renitens distensio ventris , ejusque duritia ; borborygmi ; ructus ; dolores ; corporis pondus aut nihil aut parum auctum ; marcies ; pedes raro tumentes. In cursu morbi elastica ampliatur abdominis inflatio , quae quocunque positu formam

et molem retinet; exasperantur, adaugenturque symptomata, scilicet non sine negotio ducitur spiritus; pulsus celerior, et aliquantum durus; palpitat cor; torquet sicca tussis; magis comprimitur alvus; relinquit animus; caligant oculi; immutatur et decolatur facies; summa macie corpus languet. Tympanites vero hypersthenicus, in quem incidunt robusti homines, a pulsibus plenis et duris, aliisque stheniae signis distinguitur. Ex adverso hyposthenicus, hominum debilium proprius, signis universalis et partialis astheniae ventriculi et intestinorum ostenditur. Cum vero varia sit morbi sedes, inspicienda sunt signa, quae eum esse vel intestinalem, vel abdominalem, vel emphysematicum declarant. Ubi intestinalis est, tactuque oculoque ventriculum et intestina ab aëre distendi deprehenditur. Et quoniam plus in una quam in alia abdominis parte adnotabilior est tumor, quae inde magis sit ab aëre inflata detegitur. Si aër colligitur in ventriculo, elasticus et convexus tumor in epigastrica regione conspicitur, qui augetur, et ob nimiam distensionem difficilis fit respira-

tio ; praeterea nausea , anorexia , sitis , palpitatio cordis, tussis, anxietas , debilitas, extremitatum frigus praesto sunt. Si vero aër in intestinis congeritur, observatur elasticus abdominis tumor ; insuper borborygmi ; dolores prius ad umbilicum , mox ad alias partes , saepe acerbi ; alvi duritia; flatus prius cum fugaci levamine erumpentes, postea clausi ; difficilis spiritus ; tussis; singultus ; maxima debilitas ; consumptio ; distenta cutis , quae splendens fit. Si tympanites abdominalis sit, inflatio est magis aequalis et elastica, quam in intestinali ; major est tensio ; si concutiatur abdomen, sonitus evidentior redditur ; si in utraque parte comprimatur, aëris fluctuatio percipitur ; flatus non erumpunt ex ano , aut raro , et minus allevant, nec per eorum exitum imminuitur abdominis moles ; alvus pertinaciter adstringitur ; dolores exteriores sunt. Si vero tympanites intestinalis cum abdominali conjungitur , diagnosis difficilior est. Tympanites emphysematicus est abdominis inflatio , in qua deest sonitus , et est magis plana et aequalis , quam intestinalis ; sed interdum cum inte-

stinali sociatur, idque arduum est dignoscere. Quandoque etiam tympanites non facile ab ascite distinguitur; sed curiosa et assidua symptomatum observatione surripitur ambiguitas. Etenim in tympanite deest fluctuatio; copiosior est urinarum secretio; pulsus est durior; concussus venter, ut tympanum sonum edit; adest eructandi voluntas; deficit oedema extremitatum inferiorum; obducit universa macies; aegre trahitur spiritus; exilit cor; concidit animus; sublata pressione, subito partes reagunt. Dum vero tympanites complicatur cum ascite, signa non desunt utriusque morbi. Si quatitur abdominis tumor, cum strepitu repellit manum; sed eodem tempore fluctuatio percipitur. Urinae sunt praeparcae, et rubrae; apparet oedema extremitatum inferiorum; comprimitur alvus.

§. 1160. Tympanitis intestinalis caussa proxima est distensio ingens ventriculi, vel intestinorum, vel utrorumque, a collecto et urgente aëre inducta. Caussa etiam proxima tympanitis abdominalis est totius abdominis inflatio, quae fit ab aëre vel in ejus cavi-

tate extricato, vel a perforatis intestinis immisso. Illa autem tympanitis emphysematici est tunicarum intestinorum aliorumve viscerum distractio, quae ab aëre per ipsas diffuso et clauso gignitur. Remotae vero caussae tympanitis intestinalis sunt aut validus corporis habitus; defectus alicujus consuetae exinanitionis sanguineae: aut universalis vel partialis debilitas; alimenta cruda, tenacia, fermentescentia, ventigena; corrupti vermes; faeces diu retentae; ingens copia muci et pituitae; defectus aut inertia bilis; usus vini nullius aetatis; abusus spirituosorum liquorum, catharticorum, opii; etc. Illae tympanitis abdominalis sunt materiae in cavitate abdominis congestae, ut aqua, pus, sanguis, bilis, quae interdum per suae vesiculae rupturam diffunditur; ulcera aut intestinorum foramina, ex quibus aër in abdomen illabitur; viscera gangraena absumpta. Tympanites autem emphysematicus aut nascitur a laesione internae intestinorum tunicae, aut ab aëre intra eorum tunicas explicato, ut in aliis textibus contingere solet, unde generatur emphysema.

§. 1161. Ut plurimum tympanites est indomitus et periculosus morbus; sed ut belle ominemur, species, caussae, et symptomata ponderentur. Si est intestinalis et recens, ejusque caussa sit gastrica impuritas, ex facili expugnari potest. Si vero inveteraverit, et originem habuit ab universali et partiali asthenica, est magis pertinax, ejusque finis saepe infaustus. Tympanites abdominalis a flatibus in cavitate abdominis extricatis productus, quin laesio, aut corruptio viscerum abdominalium subsit, ominosus est; sed sanationis non desunt exempla. Si vero ab intestinorum vel vesiculae fellis ruptura nascatur, immedicabilis est. Etiam emphysematicus lethifer est, a membranarum intestinorum laesione orsus. Si tympanites complicetur cum ascite, difficile sanatur. Diligens vero symptomatum observatio magnam affert lucem. Revera optimum erit praesagium, si symptomatum imminutio stabilis sit, et crebro in intestinali tympanite explodatur aër, maxime si aeger sit bona temperie instructus. Contra si adaugeantur symptomata, ut dolores abdominis atrocio-

res; nimia alvi compressio; faciei rubor; flatus omnino clausi; singultus; maxima respirandi difficultas; anxietas; pulsus parvi, inaequales; frequentia animi deliquia; extremitatum frigus. Inter etiam lethalia symptomata adnumerantur haemorrhagiae pulmonum et ventriculi; summa virium infirmitas; febris lenta; macies; hydrops; stranguria; ischuria; ileus; enteritis, quae prompte in gangraenam abit. Interdum per naturae nisus resolvitur morbus, ut per faecum, et foetidissimorum flatuum exitum; per mictum cruentum; per abscessus ad externas partes; per reversionem ad cutem retropulsae impetiginis. Quandoque in morbi decursu dolores, et alia flectuntur symptomata; erumpunt flatus; aliquantum venter detumescit: sed haec praestantior conditio fallax est; nam rursus intumescit venter, atque distrahitur, et cuncta exasperantur. Ad hanc detegendam fallaciam curiose virium stastu expendatur. Si enim post imminutionem symptomatum, vires non reveniant, et eodem tempore adsit inappetentia, timendum est, ne pejus malum fiat.

§. 1162. Ad curationem componendam eundem prosequamur modum. Ergo si tympanytes intestinalis sit et hypersthenicus, ab aliquo sanguinis fluxu retento natus; pulsus sint duri, et spiritus gravis; urgeat capitis dolor; et evidens sit corporis firmitas; mittatur sanguis, etiam pluries, et hirudines ano, aut partibus genitalibus applicentur; dentur purgantia levia, et injiciantur clysteres, praesertim si signa appareant gastricarum sordium; potiones sint aquosae, victus tenuis. Contra si hyposthenicus sit, et a generali et partiali intestinorum debilitate productus, conveniunt tonica, amara, carminativa, ut extractum absynthii, baccarum juniperi; cortex cascarillae, peruvianus; semina anisi stellati, foeniculi; chalybeata; clysteres ex decoctione florum chamomillae, sambuci, aut ex illa rutae, nicotianae; frictiones cum panno laneo, vel linimento ammoniae, vel substantiis balsamicis, oleosis, spirituosis; fascia quae cingat, et leviter comprimat abdomen; applicatio linteorum madidorum ex aqua frigida, quam etiam haurire juvabit, emplastri de galbano, un-

guenti de arthanita majori; et alia hujusmodi. Tentatur etiam evocare aërem per stanneam syringam in anum immissam. Negligenda autem non sunt, eccoprotica, maxima si alvus clausa sit. Dum vero tympanites nascitur a spasmis, praecipue antispasmodica, et carminativa usurpentur, ut laudanum liquidum cum aqua stillatitia, aut oleo amygdalarum dulcium; liquor anodynus; assa foetida; castoreum; niveae potiones; clysteres ex decoctione simplici chamomillae, aut cum assa foetida et ovi vitello, vel ex aqua frigida; balnea; frictiones cum oleo amygdalarum dulcium et laudano; applicatio nivis super abdomen; eccoprotica ad emolliendam alvum. Utiliter etiam super abdomen cucurbitulae siccae, vesicantia, et alia stimulantia adhibentur. Si tympanites a defectu, vel inertia bilis procedat, eligantur quae ejus vices suppleant, ut amara, saponacea, eccoprotica, ut rhabarbarum, sapo venetus, pilulae de gummi ammoniaco Quercetani, fel bovillum, decoctio quassiae amarae. Si in caussa sint gastricae saburrae, subveniunt purgantia levia;

clysteres, et diluentes potiones; sed ubi saburrae sunt putridae indolis, acida, et ut inquit P. Franch, spiritus nitri dulcis in aqua stillatitia, ut est illa menthae. Ab eodem auctore ad absorbendos flatus plura proponuntur medicamina, parvis dosibus exhibenda, ut magnesia calcinata, aqua calcis, alcali volatile causticum, pulvis ex ligni carbone; sed, ut ipse met animadvertit, utilius semper est caussam, quam flatus removere. Ubi autem adsunt vermes, praeter purgantia et clysteres, potiones cum succo mali medici, amara et anthelminthica praestant; et ubi acidae materiae, absorbentia, potissimum magnesia caustica. Si tympanites intestinalis oriatur ab aliis morbis, varia locum habent auxilia, ut si a viscerum obstructionibus, deobstruentia; si ab immodicis exinanitionibus, roborantia, et adstringentia, si a scorbuto, antiscorbutica. Si autem hic morbus complicetur cum ascite, amara, tonica, diuretica, eccoprotica conferunt. Cum tympanites abdominalis sit, quia medicamina imparia sunt, tentetur paracentesis, ut ab abdominis cavitate educa-

tur aër. Siquidem ab ea non tollitur caussa, ratio patet, quia morbus postea saepe deterior fiat. Tandem tympanites emphysematicus, ut intestinalis curandus est. Pro convalescentibus exactum expedit vitae regimen; hinc concedantur alimenta nutrientia, minime inflantia, quae sine labore digeruntur; praecipiatur modica exercitatio, ut equitatio, et vectio in rheda; reclusa servetur alvus. Et ut confirmetur sanitas, interdum utilia sunt roborantia et stomachica, ut infusio frigida corticis peruviani, aut quassiae amarae; aquae minerales; tinctura vinosa chalybis; etc.

§. 1163. Alia pneumatosis species est illa genitalium utriusque sexus, a Sauvages aedophsophia nuncupata, quae ab emissione flatuum, fere cum strepitu, ab ipsis partibus deprehenditur. Homines coeundo ant loco seminis, aut una cum semine per urethram emittunt flatus; vel per eandem viam dum alvum exonerant, aut urinam reddunt. Mulieres a vagina sub actu coitus, vel dum comprimunt ventrem, vel absque ullo motu et nisu ejiciunt flatus. Quandoque externus

aër iutromitti potest in vaginam, vel in uteri cavum, ubi rarescit, et uterum ipsum distrahit, et crebro cum sonitu exploditur. Quandoque vero vaginae flatus vel ab exulcerationibus, vel ab ulcere et fistula recti intestini proveniunt, et tum aër aut cum fragore, aut clam è vagina egrediens, foetidus est. Interdum uteri flatus a stagnante humore extricantur, et cum impetu egrediuntur. Si uteri pneumatosis constans est, a Sauvages vocatur physometra. Cognoscitur a tumore et elastica tensione regionis hypogastricae, quae eandem uteri figuram exhibet, et cum pressione personat; ardore, et dolore pungenti ad vaginam et inguina extenso; anxietate; siti; horripilatione, et febre levi, vesperi aucta. Identidem exploduntur flatus cum imminutione tumoris, qui si illi supprimantur, iterum augescit. Nonnunquam exeuntes flatus foetentes sunt, et inde materiae ut plurimum ichorosae profluunt. Quoniam interdum haec uteri distensio graviditatem simulat, observare est, exploratu hujus visceris levitatem comprehendi; et dum copiosi flatus erumpunt, extenuationem

tumoris esse praeclaram. Distinguitur etiam ab hydrope ascite, in quo fluctuatio percipitur, et decubitu aliquo modo tumor subsidit et mollescit; dum in utero ab aëre distracto non adest fluctuatio, et inflatio aequalis manet. Sic discernitur ab aedopsophia, a tumoribus, duritiisque fugacibus uteri, quae plus in una, quam in alia parte in hystericis mulieribus observantur. Contingit physometra apud virgines, illas quae pepererunt, et vetulas. Etenim externus aër aut in uterum fluentibus menstruis inducitur; aut post partum, et abortum, post uteri haemorrhagias; aut per exulcerationes, sanguinis grumos, aliasque materias subsistentes, et putrefactam placentam evolvuntur, et continentur flatus. Subinde solvitur morbus dum egrediuntur flatus, et materiae, quae in uteri cavo constiterant. Itaque curandum est, ut flatus ab utero exsiliant; sed remedia pro varia caussa plura sunt. Generatim auxilio sunt balnea, semicupia; injectiones emollientes, detergentes, tonicae; orificii uteri per digitos obstetricis stimulatio; pessaria acria; clysteres irritan-

tes; vomitus, sternutatio, saltus. Interdum physometra non solum a flatibus, verum etiam a sero generatur, unde uterus valde distenditur, et ad magnam pervenit molem, atque tum humida dicitur. Signa sunt eadem, sed a sicca per pondus distinguitur. Curatio quoque non differt; sed praeter alia, diuretica locum habent.

GENUS SECUNDUM

Polypionia.

§. 1164. Morbosa pinguedinis accretio corporis formas regulares eripiens, motuum celeritatem impediens, plus vel minus functiones turbans, polypionia vocatur. Distat igitur a simplici pinguedinis augmento, quo non laeduntur functiones. Jampridem appellabatur polysarcia; sed hoc nomen non immodicam pinguedinem, sed carnosam corpulentiam indicat. Quare illud polypioniae fuit subrogatum, quod non multam carnem, sed multam pinguedinem significat. In ho-

mine adulto et sano, et non nimis pingui, adeps in textu celluloso collectus ad vicesimam partem ponderis corporis ascendit. Varia vero est illius quantitas, et firmitas pro diversis partibus, quarum plures adipe orbantur, idque pro usibus, quibus dicantur. In textu celluloso subcutaneo, et inter musculorum interstitia abundat; dum intra cranium deest: est fere fluidus ad orbitae fundum, et circa oculi globum; dum circa renes habet firmitatem sebi. In statu valetudinis inter majorem adipis spissitatem, majoremque fluiditatem plures interponuntur gradationes. Sic in diversis aetatibus ejus densitas, color, odor, sapor dissimilis est. Sed in statu morboso interdum ita augetur adeps, ut ad immensum pondus conscendat, ut 600. librarum, sicut apud Sennertum, aliosque legitur. Cumulatur etiam in visceribus, quae secundum naturae institutum eo destituuntur, ut cerebrum, pulmones, hepar, lien. Subit praeterea mutationes, quae non bene cognoscuntur, et ideo accurate describi non possunt. Functiones vitales violat, cum circa cor, magnaque vasa congeri-

tur; aliaque inducit mala, si a vasis absorbeatur, cum a statu naturali recedat. Quoniam morbosum adipis augmentum aut per universum textum cellulosum extenditur, aut solum per aliquam ejus partem, hinc polypionia in universalem et partialem dividitur. Utriusque perpendamus symptomata.

§. 1165. In universali polypionia exuperanti pinguediue opprimitur corpus; non amplius distinguitur partium regularitas; impediuntur motus unde incedendi difficultas; praecipuae functiones laeduntur, hinc respiratio anxia, et saepe sub inspiratione sibilus persentitur in pectore; saepe etiam palpitat cor, praesertim ascensu in clivos; ad veternum proclivitas; motu etsi levi ingratus et profusus manat sudor; urinae fere turbidae, et oleosa substantia obductae. Sed alia urgent symptomata non raro infausta, et a compressione orta, quam per immodicam pinguedinem vasa, et cuncta systemata patiuntur. Cum ab illius pondere minuitur vasorum diametrus, circulatio fluidorum offenditur, unde oedemata, ascites, hydrothorax, vasorum sanguineorum rupturae,

subitanea mors. Modo appetitus est vorax, modo decrescit, et languide digestiones absolvuntur, siquidem saepe secretio bilis extenuatur. Obesi plusquam macilenti famem, et frigus tolerant, et eorum tactus obtusior est. Haec foenomena facile exponuntur, quia in adipis usibus est tueri organa quae contegit; nervorum sensilitatem compescere; et sub ciborum abstinentia corporis nutritionem servare. Animalia quae hyeme dormiunt, ex propria substantia vivunt; et ineunte vere macie confecta latibulis exeunt. Corpora utriusque sexus immoderate pinguia ad generationem sunt imbecilla; et mulieres fere sterilescunt. Polypionia facultates intellectuales non laedit; nam fuerunt omni memoria homines pingues ingenio praestantes. Sed cum ad insignem gradum pervenerit, hujusmodi facultates hebetantur, et homines somnolenti, et stupentes fiunt.

§. 1166. Partialis polypionia modo internas modo externas obsidet partes. Aggeritur adeps circa viscera, ut cor, pericardium, pulmones, mediastinum, hepar, renes, omentum, intestina, etc; circa mam-

mas, nates, crura, maxime in mulieribus. Morgagni in macilento cadavere ad cartilaginem ensiformem sub cute invenit pinguedinis globum pugni magnitudine, ut refert Epist. xix. 58. Saepe occurrit subcutaneus tumor, qui formatur ab adipe diciturque lipoma. Non semper vero adeps naturales qualitates servat, nec semper solus ejusmodi tumori ansam praebet. Substantia enim carnosa inter adipem producitur, unde lipoma carnosi nomen adipiscitur. Sic non raro cysticus tumor offenditur, steatoma dictus, quia spisso, concreto, et candido adipe instar sebi, in cystide collecto nascitur. Sedet ut plurimum in textu celluloso, et est majoris vel minoris voluminis. Ubique generari potest, et nonnunquam invenitur in pulmonibus, ventriculo, pancreate, hepate, liene, intestinis, mesenterio, utero, testibus. Ex partiali polypionia varia prodeunt symptomata, secundum partes, quas occupat; ut prope viscera, eorum perverturtur functiones. Idcirco si circa cor, et majora vasa, pericardium, pulmones acervetur adeps, ob pressionem impeditur motuum li-

bertas, et mors consequitur. Si cumuletur in omento, et mesenterio, tumefit abdomen, inhibetur diaphragmatis motus, unde difficilis respiratio; compressa vasa a proprio situ recedunt, eorumque minuitur diametrus, et hinc anxietates, obstacula et inaequalitas circulationis, et interdum ipsa vasa rumpuntur. Pluries in intestinis inventi sunt pinguedinis globi; et quidam per alvum albi adipis massas reddiderunt. Interdum circa uteri os multa colligitur pinguedo, unde cohibetur menstruorum exitus. Sed menstrua saepe deficiunt, cum immodica sit pinguedo. In mulieribus enim pinguibus parcior est sanguinis vis, exiguae sunt venae, et ipse sanguis propemodum abit in pinguedinem, quod etiam in obesis hominibus usuvenit. Dum pinguedo circa externas partes accrescit, modo graviora, modo leviora symptomata sunt. Lipoma lente surgit, non affert dolorem, nec cutis colorem mutat; sed sensim sensimque ad majus volumen pervenit, et tum dolorem, vasorum compressionem, motuum impedimentum, aliaque parit incommoda. Etiam steatoma in-

dolens est, et ut lipoma majus acquirit volumen; hinc motibus obstat, et turpes deformitates inducit.

§. 1167. Caussa proxima polypioniae est secretio et collectio adipis morbosa. Agitatur quaestio, an hujusmodi affectio a statu corporis tonico, vel atonico dependeat. Sed si remotae spectentur caussae, ab utroque statu, sed ut plurimum ab atonia, maxime telae cellulosae et vasorum lymphaticorum produci videtur. Quum homines debilitantur, saepe se ad nimiam obesitatem disponunt. Aetas, sexus, temperamentum, aër, quaedam diatheses, familiae constitutio, alia quae in vitae cursu contingunt, ad eandem praeparant. Saepe infantes fiunt pingues; sed haec pinguedo post infantiam fere decrescit. Abdomen in hominibus circa quadragesimum aetatis annum pinguescit. Mulieres hominibus frequentius evadunt pingues; ut et spadones corpulentiores sunt. Temparamentum lymphaticum, et sanguineum; diathesis scrophulosa; qualitas aëris calida et humida magis polypioniae favent. Caussae excitantes sunt victus nutriens, et lautus; animi quies, nun-

quam abrupta pathematibus; otium post exercitatam vitam ; debilitas post aegritudines ; immodicae haemorrhagiae ; abusus balneorum; perpes farinaceorum esus ; probabiliter nutrientium substantiarum absorptio, qua nonnulli quin edant , pinguescunt. Non semper vero homines per opimas dapes , et otiosam vitam , ut caetera animalia crassescunt; nam saepe sollicitudinibus, animique affectibus dilacerantur. Ut plurimum hujusmodi caussae in hominibus laete et tranquille viventibus effectum edunt. Animi vero pathematibus aut cumulatur , aut consumitur adeps. Alibert observavit juvenem mulierem, quae molestiis etsi minimis emaciabatur ; sed si de aliqua re gratularetur , paucis diebus amissam reparabat pinguedinem. Nihil vero certi dici potest de caussis partialis polypioniae ; sed frequentius laxitas et debilitas textus cellulosi , vasorumque lymphaticorum esse videtur. Lipoma externarum partium saepe nascitur ab ictibus , contusionibus, compressionibus , aliisque externis caussis , ex quibus cum debilitentur partes , consistit adeps , et majorem spissitatem acquirit. Sic

forsan oriuntur vegetationes carnosae, ex quibus una cum adipe consurgit lipoma. Etiam steatoma externarum partium ab iisdem caussis nasci potest. Verum tam lipoma, quam steatoma absque harum caussarum conspiratione germinant. Ad id exponendum plures extant opiniones, sed frequentior horum tumorum caussa, eadem esse videtur ac illa partialis polypioniae, scilicet textus cellulosi, vasorumque lymphaticorum debilitas.

§. 1168. Raro immodice pingues longaevi sunt. Ad vasorum enim, et cordis vitia; soporem; apoplexiam, hydropem, praecipue anasaream disponuntur. Exuberantem pinguedinem utriusque sexus fertilitati nocere, jam memoravimus. In mulieribus nimis extensum omentum os uteri comprimit, et impedit quominus suscipiatur sperma; interdum tamen obesiores faecundae sunt. Polypionia affecti, si aliis corripiuntur morbis, gravius affliguntur. In acutis febribus propter actionem auctam avidius vasa resorbent pinguedinem, unde nimis adimplentur, et vitiatur sanguis; et superveniunt ominosa mala. Quandoque supra modum pingues

derepente macescunt, quod ut infaustum habetur indicium. Partialis autem polypioniae discrimen differt; nam praeter functionum perturbationem, saepe ab ea viscerum duritiae progignuntur. Lipoma lente crescit, et non affert molestias; sed si quo vasa et nervi serpunt, amplietur, tam in sua sede quam ad propinquas partes dolorem, et alia suscitat incommoda. Steatoma externarum partium ut plurimum non producit nisi deformitatem, sed interdum illarum motum impedit. Dum vero internas partes tenet saepe molestiam, et periculum edit, ut cum viscera possidet, aut prope ossa nascitur, ubi profundum dolorem concitat, eorum substantiam aggreditur, cujus mollitiem advehit.

§. 1169. Curatio universalis polypioniae, quam Hippocrates, aliique veteres instituebant, in pauco victu, nimia corporis exercitatione, brevi vel multum producto somno praecipue consistebat. Quidam vero inter veteres absurda methodo arvinam abstrahere ferro ausi sunt. Certum est, incipientem polypioniam appositis regulis diaeteticis, et etiam idoneis auxiliis curandam esse. Minua-

tur igitur consuetus victus, et minus sit nutriens; brevior somnus, et bene mane linquatur lectus; et magis exerceatur corpus ambulatione, cursu, venatu, natatu. Haec enim exercitia corporis fortitudinem, separationes, et excretiones adaugent. Omnia vero gradatim, et considerate fiant; secus pejora mala, et mors ipsa subsequitur, sicut plurima confirmant exempla. Sed satis sit historia, quam Jo. Bened. Sinibaldus Hipp. antiphonov lib. 4. antiph. 3. hisce verbis refert = Vir quidam Romano sanguine illustris pinguiori praeditus corporis habitu, formosissimae simulque opulentissimae Heroinae incensus amore negligebatur ab amasia eo nomine quod esset obesus. Id miser cum resciret,

Improbe amor quid non mortalia pectora cogis?

extenuari, et gracilescere studens enixius, summo mane longam, et laboriosam ambulationem peragebat, mox producto sese tradebat somno. Hinc autem usque adeo exta-

buit, ut perierit consumptus arvinam, et amorem cum vita deponens. = Hipp. enim lib. de diaeta inquit, diuturnum somnum viscera excoquere, atque plurimum extenuare, si jejuno potissimum stomacho dormiatur. Remedia autem, quae in polypioniam conveniunt, aut interna, aut externa sunt. Prima quae alvum, perspirationem, et urinas provehunt. Ad fundendam vero pinguedinem, ejusque absorptionem promovendam celebratur sapo. Hic datur quotidie ad dimidiam, aut ad drachmam, aut ad majorem dosim; sed non omnes assiduum saponis usum tolerant. Proponuntur acida, ut succus mali medici, acetum, acidum nitricum, quae quidem evertere possunt pinguedinem, sed saepe eorum usu perduntur stomachi vires, et consumitur corpus. Utilia vere sunt martialia, et aquae ferrugineae. Externa sunt quotidianae frictiones, quae augent cutis robur; fascia circa ventrem, quae viscera comprimit, et absorptioni adipis suffragatur; frigida balnea, maxime fluvialia. Cum vero inveteraverit morbus, medicamenta imparia sunt; sed diaeteticum regimen aliquod emo-

lumentum confert. Ubi polypiqnia partialis est, et in internis partibus considit, ut in pericardio, mesenterio, omento, intestinis, evacuantia, sobrietas, et a nimis nutrientibus fuga dumtaxat expediunt. Observavit Alibert, vinum colocynthidis, aliaque drastica utiles egestiones produxisse. Si lipoma nec dolorem moveat, nec alia incommoda, frictiones leviter resolventes sufficiunt; contra convenit radicalis curatio, scilicet extirpatio, dummodo sinat tumoris sedes. Sic steatoma linquendum, si non pariat molestias; contra extirpandum.

GENUS TERTIUM

Hydrops.

§. 1170. Hydrops est morbosa serosi vel lymphatici humoris collectio in aliqua corporis parte. Non semper vero collecti humores vere serosi aut lymphatici sunt, sed aliis immiscentur materiis, ut sunt aër, sanguis, bilis, pus. In statu salutis exhalat subtilis humor, qui cavitates et viscerum

superficies lubricat, partium unionem amovet, et motus explanat. Adhuc absolute praefinitum non est, an ejusmodi humor a poris inorganicis parietum vasorum, aut a vasis exhalantibus exspiret; sed plerique existimant, ex istis vasis illum emitti, etsi demonstrata non sint. Hic secretus humor vicissim absorbetur, et hac exhalationis et absorptionis ratione sistit aequilibrium, et aliae conservantur functiones. Contra si exhalatio exuberet, aut absorptio langueat vel deficiat, serosi vel lymphatici latices cavitates inundant, et hydropem constituunt. Congregati, et stantes humores blandam indolem pedetentim amittunt, et postremo qualitates irritantes acquirunt. Alibert, aliique recentiores collocant hydropem inter morbos vasorum lymphaticorum, sed ubi primarius est, ut plurimum a caussis nascitur, quae in universum operantur systema, et functionum aequilibrium, praesertim exhalationis et absorptionis perimunt. Hydrops qui a peculiaris systematis affectione pendet, symptomaticus est. Vasa lymphatica eorumque valvulae vario modo afficiuntur, et

hinc vigorem et elasticitatem perdunt, et hydropi ansam praebent; sed hic strictim symptomaticus est, utpote alterius affectionis symptoma.

§. 1171. Hydrops est primarius, symptomaticus, secundarius. Primarius saepe asthenicus, interdum sthenicus est; symptomaticus est aliorum morborum comes, ut obstructionum viscerum, vitiorum organorum, affectionum spasmodicarum, etc; secundarius aliis succedit morbis, ut inflammationibus, exanthematibus, impetiginibus, etc. Hydrops acutus est, aut chronicus, prout ejus cursus brevis est, vel diuturnus. Est liber, si humores in cavitates libere diffunduntur; saccatus, si hujusmodi humores in saccis membranaceis, cystidibus, hydaticus, si in hydatidibus continentur. Pro diversis autem partibus, quas invadit, plura obtinet nomina. Vocatur hydrops cellulosus, aut anasarca, si telam cellulosam, quae ambit corpus, occupat; hydrocephalus, si caput: hydrorachitis, si vertebralis columnae cavum; hydrothorax, si pectus; ascites si abdomen; hydrocele, si tunicam vaginalem

testium; hydrometra, si cavitatem uteri; hydarthrus, si illam articulorum, aut circa eorum capsulas sedeat; etc.

§. 1172. Cum in corporis cavitatibus aggregantur serosi humores, aliae secretiones minuuntur, ut urinae, sensibilis perspirationis, salivae, humorum intestinorum, etc., unde siccitas oris, quod etiam viscosum est; assidua sitis; cutis ariditas; alvi compressio; urinae praeparcae, turbidae, foetidae, lutulentae. Partes ubi humores consistunt, tument, distenduntur, frigescunt. A compressione autem et distractione a stagnantibus humoribus inducta, non solum harum partium, sed etiam propinquarum functiones labefiunt. Dum morbus amplior fit, ingravescunt symptomata, ut molestum pondus, motuum difficultas, oppressa humorum circulatio, lenta digestio, imminutus calor, virium imbecillitas, macies in vultu, pectore, extremitatibus superioribus spectabilior. Cum diu stantes humores indolem irritantem suscipiant, frigus, calor, febris, anxietas, vigilia, dira sitis, circumscripti rubores, respirationis negotium, do-

lores, vertigines, vacillatio mentis, sopor comparent. Postremo diruuntur omnia, et ipsa substantia viscerum, quae in humoribus submersa macerantur, destruitur; in partibus, maxime brachiis, maculae rubrae, lividae, violaceae prodeunt; ulcera et gangraenae praecipue aggrediuntur loca, quibus aegrotantes incumbunt, et quae prius rubent et dolent, deinde rumpuntur, et in gangraenam evadunt; crebrae adveniunt lipothymiae, appellitque mors. Cum hydrops saccatus, et cysticus sit, non percipitur fluctuatio, quae ab aquis in cavitates irruptis edi solet; sed si paullatim sacci membranacei, et cystides increscant, non parum affectarum partium functiones laeduntur, et saepe sacci, aut cystides patefiunt. Aquae hydropicorum valde differunt, praesertim quoad colorem, saporem, odorem, et principia, quibus componuntur. Color fere subflavus est, sed quandoque luteo-viridis, subviridis, obscurus, aut nullus est, et aquae pellucidae sunt. Sapor autem aut amarus, aut dulcis, aut salsus, aut nullus. Odor modo urinosus, modo teter, modo nullus. Ob plures sub-

stantias, quae se admiscent hydropicorum aquis, hae a scriptoribus lacteae, purulentae, sanguineae, oleosae appellantur. Morgagni Epist. xxxviii. 30. historiam narrat patricii veneti Gaspari Lombria, qui hydropicus mortuus est, et de cadaveris sectione ita inquit = Venter aquae foetidae ex viridi flavae copiam habuit, quantam maximam praeter omnem modum distentus habere potuit. In ea frusta quaedam omenti opinor natabant, quasi ex mucilagine purulenta = Ex hac substantiarum admixtione, humorumque stagnantium mutatione ratio patet, quare chemica analysis aquarum hydropicorum discrepat. Generatim vero major vel minor quantitas albuminis aqua dissolvitur, quod actione ignis et acidorum faciliter inspissatur. Si igitur hydropicorum aquae tam differunt, aut hydrops primarius sit, vel symptomaticus, nescio an firma sit Bichat opinio, qui hydropem ab inflammatione profectum, an veniat ab inflammatis organis, vel ab inflammatis membranis, per cumulatam materiem distingui posse arbitratur. Inquit enim, materiem, quae ab inflammatis organis ma-

nat, esse pellucidam et absque colore; illam vero ab inflammatione membranarum deductam floccis lacteae speciei adimpleri, varioque modo infici.

§. 1173. Proxima hydropis caussa aut est aucta exhalatio, aut imminuta absorptio, aut utraque. Et quia hujusmodi functiones vel ab universali debilitate, vel a nimio vigore pervertuntur, hinc hydrops vel asthenicus est, vel sthenicus, qui a Brown, suisque sectatoribus non admittitur. Ubi vero sthenicus, non solum acutus est, ut ille ab inflammatoriis morbis productus, sed etiam chronicus. In universali asthenia langnescit fibrarum muscularium actio, et inde extremitates arteriarum exhalantium dilatantur, et fluida plus quam in statu sano effunduntur, quae per eandem atoniae rationem, servata proportione, hauriri nequeunt. Ad hydropem asthenicum propensi sunt debiles, obesi, vitam sedentariam degentes, animi pathematibus afflicti, qui evacuantibus abutuntur, et ingentes humorum jacturas, vel graves diuturnosque morbos tolerarunt, ut sunt dysenteria, diabetes, asthma, venerea lues, scor-

butus. Quavis aetate contingit hydrops; sed foetus, recens nati, pueri ad hydrocephalum; homines maturae aetatis ad hydrothoracem; senes ad ascitem magis sunt comparati. Caussae vero excitantes asthenici hydropis sunt quae universum debilitant systema, ut morbidus aër; inops et insalubris victus; inexhaustus labor; profusae humorum amissiones; afflictantes animi affectus, aliaque similia. Sydenham in debilitate sanguinis caussam hydropis constituebat; Cullen caussis debilitantibus discrimen inter rubras et albas sanguinis partes, sive inter sanguinem et serum, adjunctum credidit. Etenim in hydropicorum sanguine magna adest seri copia. Sed haec sanguinis debilitas, hoc inter illius rubras et albas partes discrimen, sunt earundem caussarum effectus. Ad hydropem autem sthenicum dispositi sunt plethorici, largioribus cibis enutriti, mulieres menstruis orbatae. Caussae excitantes hujusce hydropis actionem exercent in universum systema, et incitamentum augent, ut assuetae exinanitionis sanguineae retentio, sicut illa menstruorum, lo-

chiorum, haemorrhoidum, et narium. Contra hunc hydropem objicit Brown; si vasorum exhalantium actio augeretur, illa etiam absorbentium increbesceret. Sed si consideretur; quod ipse venarum, quae vasa lymphatica comitantur, turgor ad impediendam absorptionem sufficit, facile evincimur, dari hydropem a plethora natum. Hunc autem sanguinis missione, haemorrhagia narium, aliisque spontaneis sanguinis fluxibus feliciter curari experientia demonstrat. Opinio illorum, qui existimant, hydropem a plethora, vel diathesi inflammatoria productum, esse potius hujusce diatheseos symptoma, quam primarium morbum, damnanda non est, dummodo hoc symptoma methodo antiphlogistica curetur. Browniana vero sententia licet non vera, non tam aegris attulit detrimentum, ut hodiernum oppositum systema. Nescio enim quo animo scribi potuerit, hydropem esse constantem effectum phlogosis, et debilitantem curationem exposcere; dum plerique hydropicorum agmine malorum circumdantur, quae non solum de eorum infortunio, sed de maxima virium dejectione testantur.

Heu quo ducit caecus et insolens systematis amor! Praeterea monendum est, quod pathologi inter hydropis caussas vasorum cutaneorum absorbentium dispositionem ad hauriendam atmosphaerae humiditatem ascribunt, ex qua aqueae particulae in sanguinem inductae hydropi locum dant. Hic tamen frequentius a repressa insensibili perspiratione per atmosphaericam humiditatem nasci videtur. Idcirco si Cel. Fontana, cum sub aperto et humido coelo per aliquot horas deambulasset, se ad libram aliquanto ponderosiorem invenerit, probabilius a cohibita insensibili perspiratione, quam ab avida particularum humidarum aëris absorptione contigit. Forsan hydrops per hanc caussam in regionibus humidis et frigidis praecipue regnat. Symptomaticus autem hydrops est morborum acutorum, et chronicorum effectus, ut sunt inflammationes, exanthemata, rheumatismus, spasmi, viscerum obstructiones; rupturae, lacerationes, aliaeque affectiones lymphatici systematis; vitia vasorum sanguineorum; ossificationes valvularum cordis, et excrescentiae polyposae; compressiones in aliquam

partem, quae liberam circulationem humorum inhibent, ut quae fiunt a scirrho, calculo, steatomate, aliisque tumoribus, atque ab ipso utero gravido, qui dum vasa lymphatica comprimit, tam frequenter oedema pedum inducit. Saepe hydropes ab affectionibus spasmodicis oriuntur, quia a spasmis constringuntur absorbentia vasa, quae non amplius resorpta liquida possunt in circulum trajicere. Abscessus viscerum nullo negotio hydropem pectoris et abdominis inferunt; nam ab ipsis lymphatica vasa comprimuntur et rumpuntur, nec inde possunt sine labore coalescere. Etiam saepe calculi renum in caussa sunt, qui separationem et excretionem urinae continent, quae dispergitur, inter membranas penetrat, easque extollit in hydatides, quae deinde finduntur, et ita humoribus cavitates implentur. Hydrops secundarius alios excipit morbos, ut scarlatinam, diuturnas febres, repulsas impetigines. Localis hydrops nascitur a caussis, quae in aliquam tantum partem agunt, ut externae violentiae, et quaevis localis ir-

ritatio. Ille cysticus, saccatus, hydaticus ut plurimum a localibus affectibus egreditur.

§. 1174. Hydrops est morbus gravis, periculosus, curatu difficilis; sed ejus natura, caussae, symptomata; aegri aetas, temperies, vires; et loca affecta examinanda sunt. Quare si hydrops primarius sit et asthenicus, a gravioribus caussis natus; infirma aegrotantis constitutio, et aetas senilis; deterrima symptomata, ut maxima virium dejectio; sitis ardens; internus ardor; macies; icterus; maculae lividae; ulcera in ore, gingivis, tibiis; animi deliquia; nulla aderit salutis spes. Si contra hydrops sit sthenicus, et ab incitantibus caussis proveniat; valida constitutio; non tam gravia symptomata; recta et matura accedat curatio, jure sperandum est. Gravissimus est hydrops, qui nobiliora viscera, vitaeque necessaria invadat, ut cerebrum, cor, pulmones; ut et gravissima quaevis aquarum collectio, a qua praeter modum distenduntur membranae, ut meninges, pleura, pericardium, peritonaeum. Inter caussas qnaedam sunt efficaciores, et quae hydropem insanabilem producunt, ut assiduus

vini et spirituum abusus ; quorumdam remediorum , venenorum , et drasticorum usus; nimiae humorum, praesertim sanguinis exinanitiones. Inquit Klein Interp. clinic. = Si cui multus sanguis supra infraque proruperit , praetereaque febris accesserit , et hydrops succedat , magnus metus est , brevissimi enim est temporis, et insuperabilibus annumerandus. = Quivis autem hydrops aetate affecta in discrimen adducit. Tum tument extremitates inferiores ; mox comparent signa, quae aquas in cavitatibus indicant ; postremo quae lethalia sunt. Sed cum florescit aetas , constant vires , morbus est recens , hic interdum naturae beneficio resolvitur. Multifaria autem est haec resolutio , scilicet per spontaneam et liberalem secretionem et excretionem urinarum ; per aquarum exitum ab umbilico, abdomine , pedibus , scroto , muliebribus ; per fluxum ventris aquosum ; per copiosam et spontaneam salivae separationem ; per largam haemorrhagiam , maxime per fluxum haemorrhoidalem , et menstruorum , si ab hisce retentis morbus habuit originem ; et per alios modos. Interdum hu-

mores per externas partes sibi aperiunt vias, ruptisque tumoris parietibus, exiliunt, morbusque discutitur. Darwin pluries a dementia sanatum vidit hydropem, saltem per aliquod temporis spatium. Loquitur de anu ascitica, quae bis per aliquot hebdomadas fuit a dementia persanata, haec et ascites alternando. Etiam de homine mentionem facit, qui cum decumberet, gravi spiritu afficiebatur cum pulsu irregulari, cruribusque oedematosis. Hic in meliorem statum transibat, cum insaniret. Verisimile est, quod sub accessionibus dementiae, praesertim maniae, imminutio et sanatio hydropis, saltem per aliquod tempus, contingat; siquidem adaugetur muscularis actio, prompte absolvuntur secretiones, et forsan absorptio actuosior est. Sed dum hydrops inveteraverit; labefactae sint vires; vitiati humores; nulla amplius ducimur spe. Quidam arbitrantur, vasa sanguinea habitualem dispositionem ad emittendam nimiam humorum copiam contrahere; quae usque increscit, et incurabilis fit. Sed possibile est, ut animadvertit Balbiani, quod haec dispositio ab assidua et

aucta debilitate producatur. Discrimine autem plenus est recidivus hydrops, praecipue si ad magnam molem pervenerit; aut sponte cum ingenti virium jactura, et macie evanuerit. Est curatu difficilis, si semper augeatur, licet urinae abundantes sint et clarae; aut sint assidue fuscae, turbidae, oleagineae, foetidae, praeparcae, etsi adhibeantur diuretica. Diarrhoea, quae accedit inter initia morbi, difficultatem auget promovendi urinas remediorum usu; versus autem morbi finem periculosissima est; lethalis, si in dysenteriam abeat. Inquit Klein op. cit. = Si diarrhoea, quae accessit, non levat aegrum, manet dyspnoea, illaque in dysenteriam mutatur, intra triduum moritur miser = De hydrope vero symptomatico, pro natura primarii morbi judicatur. Si ex. gr. sit scarlatinae symptomata, fere sanabilis est; si aneurysmatis cordis, et arteriarum insanabilis. Sic de secundario dicendum est. Sanari potest, si succedat retropulsae impetigini, quae ad propriam restituatur sedem; sed qui seqnitur chronicas diarrhoeas, dysenterias, longinquas febres, praesertim quar-

tanas, plerumque non subigitur. Etiam funestus saepe est hydrops saccatus, cysticus, hydaticus, a locali vitio persaepe natus, functiones viscerum maxime turbans, et vix per chirurgiae opem quandoque curabilis.

§. 1175. Perspecta praesertim morbi indole, stabilienda curatio est. Ergo si hydrops sit asthenicus, universum roboretur systema; auferatur a sanguine partium aquearum redundantia; incitetur absorptio; et dum hoc nec per diaeteticum regimen, nec per medicamina consequi possumus, et ingens humorum vis in cavitatibus aggeratur, ad eos educendos locum saepe habet chirurgica operatio. Idcirco victus sit nutriens et levis, et ubi vires, potissimum stomachi, satis constent, dari potest sub forma solida, ut tenerae assatae carnes; concedatur modicum et generosum vinum, quod urinarum secretionem secundet. Alimenta vegetabilia non conveniunt, nisi cum redintegrari incipiant vires, et morbus ad sanationem propendeat. Haec autem virtute diuretica polleant, ut radices carotae, lupulus, turiones asparagi, cichoreum, rapae, etc.

Medicamenta vero, quae expositis indicationibus satisfaciunt, aut interna, aut externa sunt. Pertinent ad prima, roborantia, amara, diuretica, diaphoretica, purgantia, emetica, martialia, mercurialia, opiata. In hisce autem usurpandis remediis, a leviori-bus incipiendum, deinde ad fortiora deveniendum est. Diuretica majoris vel minoris efficaciae sunt, ut rob sambuci, spiritus salis dulcificatus, salia alcalina, bulbus scillae marinae, digitalis purpurea, colchicum, radix ononidis spinosae, iris palustris, cineres vegetabiles. Horum pondo infundatur in duabus libris vini, et aliqua colaturae uncia detur variis per diem vicibus. Exhibetur sub forma pilularum bulbus recens scillae marinae, sed saepe nauseam et vomitum movet; hinc sub eadem forma, datur potius exiccatus. Ex scilla autem plura parantur remedia, ut acetum scilliticum, oxymel scilliticum, tinctura, etc. Inquit P. Franch pro debilioribus proficuum observasse alcali vegetabile aceto scillitico saturatum cum aqua juniperi, gratoque syrupo. Maxima etiam utilitate adhibetur digitalis

purpurea, ejusque praeparata. Sic decoctio radicis ononidis spinosae; succus iridis palustris; etc. Jamdiu etiam nauseosa vocabantur in usum, ut urinae ovium, asinorum, juvencarum; recentius quae periculosa sunt, ut cantharides. Nostris vero temporibus summopere celebratur ballota lanata Linn., quae est stirps Siberiae indigena. Hujus seminuncia in sufficienti quantitate aquae purissimae fontis, in vase terreo per horae quadrantem ebulliat, ut octo decoctionis unciae remaneant, quae quatuor per diem vicibus sumantur. Pro uso medico adhibenda solum est, quae a Siberia transvehitur, nec itinere, nec alia ratione corrupta, nec immixta, aut speciebus affinibus adulterata, ut sunt leonurus cardiaca, ballota nigra, marrubium vulgare, etc. Quae in nostris hortis colitur multum medicae virtutis amittit. In hydropem usitatissima est ballota lanata apud Siberiae gentes; et etiam apud nos ejus diuretica virtus a Brera, aliisque satis fuerit confirmata. Purgantia autem valde conferunt; sed in hac hydropis specie eligantur mitiora, ut sa-

lina, ne magis infirmetur corpus; tamen ubi haec non sufficiunt, et aegri vires satis valeant, dari possunt fortiora, ut elaterium. Hydropici ad sudorem difficiles sunt, tamen interdum utilia sunt diaphoretica, quia cutim exstimulant et absorptionem promovent, ut antimonialia, pulvis ipecacuanhae compositus. Emetica etiam non raro juvant, quia perspirationem, absorptionem, humorumque exonerationes concitant. Nunquam vero porrigantur, si summa sit debilitas, viscera obstructione laborent, morbus inveterascat, devexa sit aetas, et aegri ad haemorrhagias et ad capitis morbos disponantur. Saepe mercurialia opem ferunt, ut mercurius dulcis, praesertim cum opio. Si hydrops cum lue venerea conjungatur, mercurius cum diureticis vere subvenit. Quidam existimant, levem salivationem mercurio esse movendam, ubi alia infructuosa sunt. Quum autem magna est virium infirmitas, apta sunt amara, tonica, martialia, opiata, ut cortex peruvianus, quassia, extractum radicis gentianae, baccarum juniperi, ferri praeparationes. P. Franch laudat vitriolum martis cujus dimi

dium granum, aut granum mane, et vespere detur, dimidio grano opii, et aliquot granis corticis cinnamomi junctum, praesertim pro sensibilioribus. Externa vero auxilia sunt fasciae; frictiones aut nuda manu, aut strigili, aut panno laneo simplici, vel vaporibus aromaticis imbuto, aut tinctura digitalis purpureae, aut oleo; vesicantia quae non solum serosos humores educunt, sed etiam eorum stimulo absorptionem excitant. Haec maxime accommoda sunt, si quis humor ad internas partes transvectus in caussa fuerit hydropis. Nunquam vero partibus vitalitate exutis applicentur, ne succedat gangraena. Veteres utebantur balneis. Celsus lib. 3. cap. 21. loquitur de balneis et de natatione. Post eum alii balnea aquae simplici, aut sulphureae, aut maris commendant. In externis etiam insolatio numeratur, interdum utilis reperta. Practici autem non eodem modo quoad potionem sentiunt. Veteres, pluresque recentiores eam negant, et sitim aliquo succoso fructu, aut succo mali citrei, vel aurei, vel punici compescere student; alii contra liberalem largiuntur potionem, et existimant nunquam si-

tim esse tolerandam. Bacher, et Milmann largas praecipiebant potiones, ut serosae materiae eliminarentur, et excitaretur absorptio. Utraque methodus ex sententia successit. Nos autem cum plerisque arbitramur, nec omnino abnuendam, nec liberaliter permittendam esse potionem. Haec modica sit, ut sitim temperet, et symptomata reprimat, quae a flagranti siti promanant. Si enim negetur potio, urinae fiunt praeparcae, acres, foetidae; diuretica non operantur, si convenientia liquida ea non adjuvent; vexat faucium ariditas; et bibendi ardor ipso morbo deterior est. Si contra aegrotantes affatim aquam hauriant, humorum aqueorum augetur quantitas, et stomachus in majorem debilitatem concidit; licet interdum largior esse potest potio, cum nempe ingens sit humorum densitas. Inquit Burserius Inst. med. pract. vol. 7. §. cxciv. = Abstinendum quantum fieri potest a largiori potu est: sola enim a potu abstinentia hydropes contumacissimos curatos novimus. Interdum tamen negari haud potest, et si largiorem mirifice profuisse; cum scilicet humores nimia densitate, nimioque

lentore cohaeserint. = Potio igitur moderate haurienda aqua est cum succo mali medici, aut aurei, aut cum cremore tartari et saccharo. Si autem hydrops sit sthenicus, antiphlogistica methodo curari debet. Ubi aeger sit juvenis, robustus; pulsus plenus, durus; respiratio difficilis; conveniunt sanguinis missiones, hirudinum applicatio; purgantia prius mitiora, deinde validiora, ut per alvum ejiciantur humores, ut calomelas, jalapa, helleborus niger, scammonium, colocynthis, etc; sed cavendum est, ne drastica nimis debilitent, vel inflamment intestina. Praeterea expediunt diuretica; interdum diaphoretica, et leviora emetica. Victus non sit nimis nutriens, et stimulantia vitentur. Pro hydrope symptomatico remedia differunt. Si enim est spasmodicarum affectionum symptoma, praeter diuretica, juvant anodyna, opiata, volatilia: si obstructionum viscerum, quae resolvunt, ut sapo venetus, gummi ammoniacum, terra foliata tartari cum extracto taraxaci, aut cichorei sylvestris; unctiones mercuriales, non omisso digitalis purpureae usu; nam pluries hunc sympto-

maticum hydropem feliciter curavimus pilulis aequali potione digitalis purpureae, saponis veneti, terrae foliatae tartari cum aliquo extracto compositis: si scorbuti, aut luis venereae, antiscorbutica, aut antisiphilitica et mercurialia locum habent. Idem de secundario hydrope dicendum est. Si compareat post retropulsam impetiginem, balnea tepida, vesicantia, diaphoretica; si post rheumatismum, diuretica, diaphoretica, praesertim antimonialia, vesicantia conferunt. Sed quicunque sit hydrops, ne redeat, caussa amovenda est. Et cum haec sublata sit, cavendum, ne rursus accedat; nam minori negotio, praesertim in praedispositis, hydropem reproduceret. Ergo si hydrops fuerit asthenicus, vires servandae et etiam augendae sunt nutrienti victu, exercitatione corporis, animi quiete, aëre puro tepidoque, frictionibus, fasciis, roborantibus, et urinae separationem moventibus: contra si sthenicus, et vires praevalescant, etsi antiphlogistica methodus adhibita fuerit; in parciore et minus nutriente victu, et stimulantium

fuga perseverandum est. Sed modo ad hydropis species deveniamus.

§. 1176. Hydrops anasarca est effusio aquosa subcutanea per universam corporis superficiem, unde hujus oritur tumor mollis, pallidus, aliquantum frigidus, digitorum impressionem retinens; et urinarum imminutio. Nomen satis exprimit morbum; ideo aliud inquirere, supervacaneum est. Anasarca varios habet gradus, quorum levior leucophlegmatia vocatur. Hanc vocem componunt λευκὸν φλέγμα, scilicet alba pituita. Illi vero qui ea corripiuntur, graece appellantur λευκοφλεγματῶντες. Leucophlegmatia est hydrops magis superficialis totius corporis ambitus; dum anasarca profundior est. Si subcutaneus hydrops unam obsideat partem, oedema dicitur, in extremitatibus inferioribus valde frequens, quod interdum extenditur, et universale fit.

§. 1177. Anasarca primaria est, si a caussis nascitur, quae textum cellulosum aggrediuntur, eumque vel infirmant, vel incitant; est symptomatica, aut secundaria, si ab aliis morbis proficiscitur. Anasarcae pro-

gressio aut lenta est, aut celeris, sed etsi celeris nunquam uno temporis puncto totum invadit corpus. Incipit fere a pedibus, mox ad extremitates inferiores, genitalia, abdomen, thoracem, faciem, extremitates superiores producitur. Cum aeger consistat, circa vesperam extremitatum inferiorum augetur tumor, qui noctu decumbendo imminuitur; sed facies et extremitates superiores magis tument. Cum hydrops totum occupaverit cellulosum textum, saepe serosus latex per interstitia musculorum penetrat, internas partes, et cavitates implet. In progressione hujusce hydropis prodeunt adnotanda foenomena. In leviori gradu, seu leucophlegmatia, cutis lactea est et mollis; et quia humorum serosorum effusio superficialis est, non adeo motus et functiones laeduntur. Crebro ab hoc gradu anasarca incipit; deinde profundior fit humorum effusio, et tum cutis fere pallens est, aut vix mutat naturalem colorem, et magis protenditur; ponderosiora, et torpidiora evadunt membra, motusque difficiles. Tam in leucophlegmatia, quam in anasarca post digitorum pressionem remanet

fovea, quae postea evanescit. Inter initia pulsus sunt plerumque debiles, parvi, lenti; urinae parcae, et subrubrae; arescit cutis; clauditur alvus; urget sitis, et sicca tussis. In progressu augetur universalis tumor; interdum serosi latices in cavitates effunduntur; spectabilius fit pondus et torpor partium, motuum difficultas, sensuum hebetatio, respirationis labor, quae erecto corporis positu liberius exercetur; plura obstacula circulationi sanguinis obsistunt, unde pulsus irregulares, intermittentes, cordis palpitatio, sanguinis a partibus exitus, sed frequentius è naribus, caloris vitalis inaequalitas et defectus manant; crescit virium infirmitas; non amplius oculi nitent, quin plumbei videntur. Saepe ob distensionem cutis, partiumque compressionem, aut decubitum, aut aliam caussam, comparent erysipelas, ecchymomata, phlyctaenae, gangraena, sphacelus. Postremo pulsus debiliores fiunt, et adeo est laboriosa respiratio, ut vix aeger possit procumbere lecto, unde somnus inquietus, abruptus; animi deliquia; delirium, aut profundus sopor, et

mors. Observandum est, quod dum cutis valde distrahitur, ubertim a poris stillat serosus humor. Vidi hominem anasarca laborantem, ex cujus scroto, et extremitatibus inferioribus, tanquam rivuli scaturiebant humores. Inter autem anasarcae symptomata, alia hujus sthenicam indolem, alia asthenicam declarant. Ad prima spectant cutis magis colorata, calida, et dolens, si tangatur; pulsus durus, fortis, plenus interdum febrilis, licet ob tumorem, qui abscondit arterias, non semper distingui potest pulsus; urina parca, rubra, lateritia, turbida; lingua glutine obducta; dolore partium; in augmento morbi animi stupor, et ad soporem propensio: ad alia autem virium infirmitas; pulsus parvi, debiles; cachecticus corporis habitus; urina parca, sed naturalis. Ut vero anasarca symptomatica, vel secundaria judicetur, apparere debent aliorum morborum signa. Ab expositis anasarcae signis discrimen inter hanc et emphysema, et polypioniam aperte liquet. Tumor emphysematis versus elatiores partes ascendit; compressus sonum edit; secretio urinarum non

minuitur; sitis non tam urget. Tumor polypioniae positu corporis non mutat locum; compressus non servat foveam; gradatim augetur, et ab opiparo et nutriente victu, et animi quiete producitur; facies est hilaris, nitens, rubicunda.

§. 1178. Hydrops cellulosus partialis, seu oedema, est etiam tumor mollis, indolens, cutis concolor, et compressus digitorum impressionem retinens. Oedema extremitatum inferiorum, a Sauvages phlegmatia vulgaris vocatum, est saepe symptomaticum ascitis, hydrothoracis, emphysematis, chlorosis, etc; sed interdum primarium est. Inchoat a pedibus, increscit dum advesperascit, minuitur mane; gradatim ad crura et femora ascendit. In gravidis circa postremos gestationis menses ob uteri in venas iliacas, vasaque lymphatica pressionem, pedes, crura, et labia vulvae ita tument, ut vaginae et urethrae ostium claudatur, unde maxima difficultate urina redditur, et exitus foetus praepediri videtur; tamen sequitur partus, et ut plurimum dissipatur oedema. In pueris hydrops cel-

lulosus scroti familiaris est, quod saepe pellucidum apparet, nimirum ejus membranae translucent. Hic hydrops etiam in adultis evenit, et praeter modum distenditur scrotum; grave est; minus pressionis vestigia retinet, et frigescit; quandoque dum crescit tumor et distensio, inflammatur cutis, et in gangraenam evadit. Interdum cum adeo tumeat scrotum, inflatur etiam penis; et tumefactum praeputium constituit phimosin. Inter partiales cellulosos hydropes est ille capitis, licet rarus, qui hydrocephalus externus dicitur. Propter serosi humoris per textum cellulosum capitis effusionem, subinde tumor ad frontem, palpebras, tempora, verticem, occiput; subinde per universum caput, partibus inferioribus faciei non exceptis, deprehenditur. Hic capitis tumor mollis est, cutis concolor, et quandoque pellucidus, et fluctuans, si prematur. Modo humor per cellulosam telam diffunditur; modo inter integumenta et musculos, et galeam aponevroticam; modo inter pericranium et ossa calvariae, et tum tumor est tensus, dolens, circumscriptus, minusque pressioni parens.

Dum hydrops non subsit in cavitate cranii, et externus hydrocephalus simplex sit, functiones cerebri non turbantur.

§. 1179. Caussa proxima anasarcae, et oedematis eadem est ac illa generalis hydropis. Anasarca et oedema est morbus cujusvis aetatis, sed praesertim infantilis. In utroque sexu ad hunc hydropem corpulentia disponit. Etiam omni aetate colligi potest aqua inter communia integumenta et calvariam; sed hoc rarissime in adultis, et fere in infantibus, puerisque contingit. Excitantes caussae sunt quae debilitant, aut excitant textum cellulosum, ut victus ad sustentandam vitam non sufficiens; assidua et copiosa aquae potio; animi pathemata deprimentia; aër frigidus et humidus; in locis uliginosis domicilium; sanguinis exinanitiones; abusus vini, et spirituum; dissoluti mores; menstruorum, lochiorum, haemorrhoidum, insensibilis perspirationis retentio; morsus insectorum, viperarum; etc. Hydrops cellulosus symptomaticus oritur a morbis vel acutis, vel chronicis, ut sunt exanthemata, inflammationes, diuturnae febres intermitten-

tes ; hysterica affectio ; obstructiones et scirrhi hepatis , lienis , glandularum mesenterii ; vitia cordis , majorumque vasorum. Sic secundarius exanthemata , dysenterias , febres intermittentes, repressas impetigines sequitur.

§. 1180. Si quid de anasarca et oedemate praedicere velimus, animum ad species, caussas, symptomata , morbi tempora , aetatem, constitutionem aegrotantium , et complicationes adjungere debemus. Ergo si anasarca , et oedema primarium , simplex , recens sit , a sola atonia inductum ; aeger aetate florens , bonaque constitutione instructus ; symptomata non gravia ; sperandum est : rursus si morbus sit vetustus , ab internis , gravibus , nec facile subigendis caussis natus , aliisque diathesibus compositus ; aetas devexa ; laxa constitutio ; deteriora symptomata. Magnum autem afferunt lumen quae in cursu morbi obtingunt foenomena. Enimvero si reparentur vires , copiosius secernantur urinae , minuatur sitis , madescat cutis , in spem adducimur : contra si vires magis frangantur , major sitis ardor , et macies , pulsus debiles et lenti , in cavitatibus

aquosi humores cumulentur, ad somnum proclivitas, efflorescant erysipelas, peticulae, ecchymomata, superveniant haemorrhagiae, calor febrilis suscitetur. Anasarca per vomitum, diarrhoeam, urinam non frequenter solvitur; tamen interdum per istas excretiones, et per innumeras exilientes vesiculas praeter spem obtinetur sanatio. Valetudo vero quae confestim melior evadit, non semper in tuto est; siquidem ejiciuntur aquae, sed maxima virium imbecillitas, cutisque flaccida consistit, et pulsus debiles, parvi; et hinc funestus exitus subsequitur. Leucophlegmatia mitior est; anasarca gravior; oedema a caussis internis deterius illo, quod ab externis, manifestisque nascitur. Non raro oedema sudoribus; crassis, et copiosis urinis; alvi fluxu, et sputis discutitur. Interdum per oedema resolvuntur morbi, ut asthmata, si crura et pudenda oedematosa fiunt; febres intermittentes, oedematosis tumoribus. Si anasarca et oedema proveniant a vitiis cordis, et majorum vasorum; aut ab obstructionibus irresolubilibus, et scirrhis viscerum, nullam curationem recipiunt: si

a pertinacibus intermittentibus febribus, non vacant periculo: si a polypionia, saepe terminantur morte: si a scarlatina, ut plurimum expedite resolvuntur. Oedema, quod est gestationis affectus, post partum fere disperditur; sed periculosum est, si in infirmis gravidis contingat, et post partum immoretur; nam frequenter asthma, suffocatio, hydrops consequitur. Oedema tandem quod morbos diuturnos, graves, et discrimine plenos excipit, maxima difficultate aufertur.

§. 1180. Remedia ad hydropem cellulosum, tam universalem, quam partialem absimilia sunt. Si enim anasarca sit primaria et asthenica, praestant diuretica, purgantia, tonica. Et quoniam saepe magis valent leviora, hinc succi plantarum nitrosarum; parvae doses digitalis purpureae, et scillae; cremor tartari, sal Glauberi; cortex peruvianus, quassia, praeparationes martiales; frictiones, lotiones ex calido vino, emolumento sunt. Enimvero leviora diuretica satis incitant secretionem urinae; cremor tartari auget urinas, et aquosas dejectiones producit; tonica dum sustinent et roborant

vires, vasorum absorbentium actionem animant; frictiones, quae fiunt aut manu, aut strigili; aut tinctura digitalis purpureae, vel scillae; aut oleo simplici, vel camphorato, cutanea vasa praesertim confirmant, vel per eas diureticae substantiae introducuntur. Barzellotti utilem reperit frictionem unguento ex gummigutta, densato scillae succo, extracto digitalis purpureae et graminis, et adipe composito. Inter vulgaria topica sunt folia brassicae cruribus, pedibusque admota; cerata tela; fasciae laneae. Sed interdum leviora medicamina non satis pollent, ideoque postulantur efficaciora. In quibusdam temperamentis purgantia mitia non sufficiunt, et tum drastica locum habent, ut pilulae hellebori nigri, jalapa, elaterium, scammonium, gummigutta, colocynthis, etc. Haec vero caute usurpentur, ne debilitatem augeant; et nunquam adhibeantur, si dejectae sint vires, et hydrops gravis. Sic ubi digitalis purpurea, aut scilla non bene succedunt, alia experiamur diuretica, ut radix iridis palustris, colchicum, solanum nigrum, lactuca virosa, tinctura tabaci, etc. Prae-

terea interdum adhiberi solent emetica, diaphoretica, mercurialia. Emetica vero, quae ad excitandam absorptionem exhibentur, saepe non juvant, imo valde turbant, et debilitant. Sic de diaphoreticis dicendum est. Quidam recentiores, maxime Angli, ad sudorem, et absorptionem in textu celluloso promovendam, excalefactum aërem usque ad 120. gr. therm. Farnheit, et balnea vaporis; et ubi omnia frustra tentantur, salivationem lenem per hydrargyrum movere suadent. Praeter exposita localia remedia, incisiones sunt, quae vero cautim, et superficie tenus fiant, ne superveniat gangraena; vesicantia, et fonticuli, quorum applicatio ob eandem rationem nunquam fiat partibus, quae multum vitalitatis amiserunt. Et quoniam frequentissime in extremitatibus inferioribus exilit erysipelas ad gangraenam vergens, fomenta humida ex decoctione chamomillae, corticis peruviani; aut solutione acetatis plumbi in aqua distillata conveniunt. Alimenta sint nutrientia, et concoctu facilia, ut juscula, assatae carnes, et vegetabilia, quae urinas cient; pro potione aliqua diure-

tica infusio, et vinum, quod etiam urinarum secretionem adjuvet. Insuper modica corporis exercitatio, et aër potius calidus, et siccus expedit. Dum autem anasarca est sthenicae indolis, confert antiphlogistica methodus, ut venae sectio, purgantia, potiones refrigerantes; deinde diuretica, et diaphoretica, praesertim digitalis purpurea, nitrum, diaeta rigida. Ad curandam vero symptomaticam, aut secundariam anasarcam, mens ad primarios morbos convertatur. Si ergo nascatur ab obstructionibus viscerum, eligantur deobstruentia, martialia, aperientia; si a chlorosi, praeparationes martiales; si a febribus intermittentibus, cortex peruvianus; si a spasmi antispasmodica; si a rheumatismo cum febre, et inflammatoriis symptomatibus, sanguinis missio, digitalis purpurea, et postea balnea tepida, vesicantia; si a scorbuto, potiones nitrosae, radix acori calami, antiscorbutica; si ab inertia organorum urinae, syrupus de terebinthina, herba rubi chamaemori; etc. Anasarca quae oritur a scarlatina frequens est, ejusque indoles modo sthenica, modo asthenica, hinc

curatio variat ; sed generatim juvant digitalis purpurea , radix ononidis spinosae, vesicantia. Si denique anasarca sit morborum insanabilium symptoma, nil aliud moliendum est , nisi aquas minuere , praesertim urinarum secretionem movendo. Eadem praecepta valent pro curatione hydropis cellulosi partialis ; sed pars , ubi sedet , spectanda est. Ille capitis , seu hydrocephalus externus , praeter diuretica , purgantia, tonica, et topica roborantia et resolventia , scarificationibus , quae fiunt lanceola , vesicantibus , et setaceo curandus est. Hic hydrops sedulo distingui debet a tumoribus , qui ob laboriosum partum capiti foetus superveniunt ; nam si improvide hujusmodi tumores aperirentur , praesto essent convulsiones lethales. In recens natis oedema scroti familiare est , quod humidis fomentis ex tepido vino, decoctionibus herbarum aromaticarum facile solvitur. Etiam in adultis hoc modo curatur ; sed ubi augescat , superficiales scarificationes conferunt. Oedema pedum et crurum a debilitate profectum frequens est , quod cubatu minuitur , et cum

ad magnum volumen non perveniat, expellentibus caligis, aut fasciis laneis sustineantur partes, et frictiones cum digitali purpurea, aut suffitus ex baccis juniperi fiant. Interdum conveniunt scarificationes, fonticuli, vesicantia, ut si ad crura deponantur humores, qui nisi exigerentur, plurima incommoda, et insignem crurum tumorem inducerent. Progrediamur modo ad aliam hydropis speciem, scilicet ad hydrocephalum internum.

§. 1182. Hydrocephalus internus est collectio aquosi humoris in cavitate cranii. Est primarius, symptomaticus, secundarius, congenitus; simplex, complicatus; acutus, chronicus. Primarius oritur a caussis actionem exercentibus in meninges, cerebrum, cerebellum; symptomaticus et secundarius a morbis vel acutis, vel chronicis; congenitus in ipso utero, aut paullo post partum, cujus exordia jam ante partum extiterant; simplex solus procedit; complicatus adjungitur oedemati capitis, seu hydrocephalo externo, spinae bifidae, seu hydrorachiae, scrophulis, rachitidi, aliisque aegritudinibus;

acutus celer est, et ab actione aucta inflammatoria vasorum meningum et cerebri producitur; chronicus est lentus, et a caussis oppositis ortus. Plerique recentiores, hydrocephalum acutum a primaria cerebri inflammatione progigni arbitrantur; alii judicant, acutum hydrocephalum esse symptomaticum, et solum chronicum esse primarium. Sedes interni hydrocephali varia est. Etenim aut aquosus humor inter duram matrem et ossa cranii stagnat, quod raro evenit propter unionem hujusce membranae cum interna ossium cranii superficie; aut inter duram matrem et arachnoideam; aut inter hanc et piam matrem; aut inter piam matrem et cerebrum; aut in ipso cerebro; aut in singulis istis locis. Communior vero sedes sunt cerebri ventriculi, scilicet aut laterales, aut unus ex his, aut etiam alii. Quandoque aquosus humor vel in una, vel in pluribus continetur hydatidibus, quae in substantia cerebri, et cerebelli, sed potissimum in ventriculis lateralibus circa plexus choroideos reperiuntur. Interdum hujusmodi hydatides probabiliter pertinent ad illam taeniam, quae

dicitur hydatigena. Brera enim 3.ª lect. de praecipuis vermibus humani corporis inquit, in interiori puerorum hydrocephalo persaepe vermes vesiculares aut in substantia cerebri, aut in ejus ventriculis offendi. Dum vero cystides, et hydatides distrahuntur et rumpuntur, humores inundant cerebrum. In interno hydrocephalo ossa cranii recedunt, et suturae hiant, ut tactu deprehenditur, idque in foetu, et in pueris praesertim usuvenit; interdum nonnulla ossa removentur, dum alia ut in statu sano conjunguntur, ut exemplum offert sceleton pueri hydrocephalici, quod descripsit Ill. meus collega Franc. Bucci in suo libro de subjectis pathologicis, quae in museo S. Spiritus conservantur; aut interdum ossa non recedunt, quod potissimum in adultis contingit, sed tum ab illis non vocatur hydrocephalus, qui credunt, hunc non adesse, ubi caput non tumeat. Praecipua hujus morbi foenomena ab humoribus collectis proficiscuntur, et a compressione, quam hi faciunt super cerebrum, ut capitis dolores, oscitationes, nausea, vomitus, hebetatio, sensuum debilitas, vertigines, tremores, con-

vulsiones, paralyses, lethargus, apoplexia. Sed in variis hydrocephali differentiis peculiaria observanda sunt foenomena; ideoque a primario, et congenito exordiamur.

§. 1183. Hydrocephalus primarius, et congenitus a primigenia embrionis conformatione oritur. Caput est ingens, monstruosum, corpori et faciei admodum exiguae non respondens. [Os frontale, parietalia, occipitale prominent in centro, eorumque durities a centro ita decrescit, ut haec ossa tenuia et membranacea evadant. Suturae non coalescunt, et extensum spatium ad fontem pulsatilem sese offert. Tenera ossa ab humoribus premuntur, et hinc angustantur oculorum sedes, et ut plurimum oculi extrorsum, et deorsum adeo propulsantur, ut pupulae ad medietatem usque cooperiantur; atque meatus auditorii externi complanari videantur. Pueri hydrocephalici fere sunt somniculosi, attoniti, parum auribus audientes, et aliquando caeci. Ad levamen captandum in nutricis brachia suffulciunt caput. Ob eadem vitiosae conformationis exordia, deformitates nascuntur, quae eodem tempore in conspe-

ctum veniunt, ut inter cranii ossa insignes tumores, in quibus serosus humor, et subinde substantia ipsa cerebri continetur; labium leporinum; oculorum defectus; anus imperforatus; brevitas extremitatum inferiorum; totque alia vitia, quae cadaverum sectione reperiuntur. Tractu temporis aquarum collectio, capitis volumen, et pondus ita gliscit, ut nisi hoc sustineatur, super pectus et humeros delabatur. Interdum aquae sibi aperiunt viam in cavum vertebralis columnae, et tum hydrocephalus hydrorachiae jungitur. Saepe autem oedemati capitis adnectitur, quia humores tam interiores partes adimplent et distendunt, ut ossa comprimant et removeant, unde externus et ingens capitis tumor comparet. Et ob humorum pressionem super cerebrum, hoc maxime extenuatur, et saepe numero sicut membrana distenditur. Aliquando foetus, et pueri cerebro carentes visi sunt; sed vere viscus fuit ab aqua dissolutum. Observandum autem est, quod non raro opposita prodeunt foenomena; nam in plurimis ossa attenuantur et perlucent, dum in aliis eorum den-

sitas, et magnitudo naturalis est; plerique pueri hydrocephalici stupescunt, sed in quibusdam cerebri functiones vigent; plures recusant ubera, et non sine negotio lac sugunt, vel alimenta fastidiunt, sed alii avide lactant, vel exoptant alimenta. Itaque in plerisque crescit debilitas, musculorum inertia, consumptio corporis; difficillime exprimuntur verba; extremitatum inferiorum supervenit paralysis; praeter voluntatem redditur alvus. Cum in utero efformetur hydrocephalus, tam interdum ampliatur caput, ut impossibilis sit partus, nisi illud perforetur. Quandoque vero non adeo augetur capitis moles, quod per pelvis diametros transitum superat; sed post partum magis evolvitur morbus, caput ad magnum volumen et pondus pervenit, recedunt suturae, et inter faciem et caput perditur proportio. Interdum per dispositionem congenitam non statim, sed paullo post partum exoriuntur principia morbi, ut lenta ossium cranii conjunctio confirmat, ex qua hydrocephalum explicatum iri possumus praevidere.

§. 1184. Hydrocephalus chronicus lente progreditur. Ad eum cognoscitur proclivitas, si caput sit solito majus, oculi promineant, arcus superciliares extollantur, frontis et temporum venae turgeant, obtusum sit ingenium, ignavia, dormiendi cupiditas, laboriosa loquela, incessus difficilis. Haec dum morbus aperte se prodit, evidentiora sunt, et alia adduntur. Ingens fit caput; magis elevantur superciliares arcus; capitis tumor pressioni non cedit, nec mollis est, dummodo ossa tenerrima non sint; aeger ponderosum caput sustinere studet; ossa extenuantur et perlucent; adest vomitus, alvus clausa, praeparcae urinae. Aliquando ossa ampliora et crassiora fiunt; facies ad latera porrigitur, et congruentem formam exuit. Aliquado in uno latere augetur caput. Aliquando, concusso capite, deprehensa fuit fluctuatio. Dum aquae premunt et distrahunt cerebrum, et cerebellum, plura comparent foenomena, ut veternus; segnities; hebetatio; assidua lamentatio; cephalaea; moeror; obtusus odoratus, visus, gustus, auditus; sermonis difficultas; vacillans gradus; pedum

frigus; tremores; paralyses; convulsiones. Sed interdum sensus, et intellectuales functiones manent incolumes, et per aliquot annos recte incedere ac loqui addiscunt pueri; saepe convulsiones periodicae sunt; quandoque non affligunt. Cum morbus sit nimis diutinus, et pubertas adveniat, per plures annos in eodem gradu morantur symptomata. Interdum pungit libido, obscoenaeque voluptates concupiscuntur. Sic nonnunquam profluunt menstrua, quae plerumque desunt.

§. 1185. Acutus hydrocephalus saepe corripit pueros, raro juvenes, fere nunquam senes. Hujus morbi varietates, quae a pluribus statuuntur, nimirum acuta, et lentior, prorsus supervacuae sunt, nam ab actione plus vel minus inflammatoria vasorum cerebri dependent. Quandoque acutus hydrocephalus a signis prodromis praenunciatur, quae non raro omnino desunt. Constituentia vero symptomata variant, et haec varietas a caussis, temperamentis, aquarum sede, et morbi periodo oritur. Generatim dici potest, quod prima foenomena febrilia sunt, et ab illis encephalitidis non distant, nisi gradu;

haec autem festinanter nervosa pathemata sequuntur. Quare hic morbus belle dividi posset in duo stadia; sed quia a plerisque tria statuuntur, a communi opinione non deflectimus, et secundum haec stadia morbum describemus, prodroma non linquendo. Haec vero ambigua sunt; siquidem eodem tempore difficilem dentitionem, et vermes ostentant, ut dolor capitis, et abdominis; vertigines; vomitus; fugaces faciei rubores; intolerantia lucis; pupulae dilatatio; circulus lividus circa inferiorem palpebram; narium pruritus; universalis debilitas; gressus vacillans; decumbendi desiderium et saepe in unum latus; parcitas urinae; inquietudo; somnus interruptus; moeror; propensio ad effundendas lacrymas; lingua foeda; labiorum tremor; major frontis, et genarum, calor. In his quaedam sunt majoris momenti, et liquidius cerebri irritationem patefaciunt, ut lucis, intentioris sermonis, et clamorum impatientia; calor et dolor assiduus capitis; oculorum rubor; anxietas; tussis; vigilia; labor ad motum. Ubi deficiunt prodroma, statim apparent primi stadii sympto-

mata, quae potius actionem auctam vasorum cerebri, et ipsam phlogosin, quam hydropem, et compressionem humorum in cerebrum denuntiant. Haec sunt languor; calor; acerbus capitis dolor, maxime ad frontem, et tempora; specialis carotidum et temporalium pulsatio; lucis et sonorum aversatio cum pupularum contractione, dum interdum hae dilatantur, et observatur strabismus; febris circa vesperam ingravescens cum pulsu celeri et parvo; facies rubra; cutis sicca, et ardens; nausea, vomitus; alvi durities; urinarum inopia; fletus; vigilia. In aliis nausea et vomitus deest: in aliis solvitur alvus, et egestae materiae cadaverosum spirant odorem, et nigrae sunt, aut virides; mucosum sedimen urinae dimittunt: in aliis articulorum, aliarumque partium errantes dolores vexant; tremores; si quis admittatur somnus, stridore dentium, et insomniis terrificis interturbatur; pruriunt nares; oculi dolent; planctus, suspiria, laboriosa respiratio, vultus lineamen aegri tormenta exprimunt. Hisce symptomatibus illa saepe dentitionis et vermium coagmentantur; et eodem tempore

erumpunt dentes, et vermes vel ab ore vel ab ano expelluntur. In hac complicatione velut capitis pondere oppressus aeger, illud in pulvinar suffulcit; et ubi aliquantum extollere tentat caput, statim relabitur. Hoc stadium modo plus modo minus profertur, nempe ad septem, decem, quatuordecim dies; et mox secundi stadii succedunt symptomata. Hujus principium est, cum signa torporis, et imminutae sensibilitatis appareant. Pulsus fit tardior, et inaequalis; majus est decumbendi desiderium; vigiliam primi stadii sequitur sopor; convulsivis motibus distorquentur, et moventur oculi, qui non omnino clauduntur in somno; duplex est visio; major est intolerantia lucis, et pupularum dilatatio; ut plurimum vomitus frequentior est, sed interdum cessat; adsunt cephalaea, inquietudo, anxietas, stupiditas, ululatus in somno, faciei rubor et pallor fugax, sudores universales vel partiales, responsa reddita ad quaesita nec prompta nec apposita, deinde mentis alienatio, et interdum versus finem hujusce stadii convulsiones et partium paralyses. Aliquando vehe-

mentiora sunt symptomata, et antequam tertium adveniat stadium, inter convulsiones aeger moritur. Distinguitur tertium stadium per convulsiones et paralyses. Pulsus prius lentior, frequentior fit, et debilior; profundus est sopor; maxima pupularum dilatatio, dum in quibusdam contractio observabatur; insensilitas retinae; oculi convulsivis motibus contorti, non amplius nitent, aut sanguine suffunduntur; facies pallet; aliaque occurrunt, ut vox rauca, aphonia, palpitationes, delirium, subsultus tendinum, convulsiones, paralyses. Pharynx et oesophagus paralysi, aut spasmo afficiuntur, unde deglutitio perimitur. Saepe maculae rubrae, et interdum miliare exanthema inficit cutim; aeger fronti et parietali illius lateris ubi magis humores stagnant, manum admovet, et in hoc inclinat caput. Respiratio fit gravior, stertorosa, singultu abrupta; praeter voluntatem excrementa, et urinae redduntur; lingua et dentes nigrescunt, aut lingua est obscure rubra; flagrat sitis; manat frigidus sudor; extremitates frigent et livescunt; maxima est virium destitutio; tan-

dem frequenti convulsionum aggressu truncatur vita. Ergo liquet quanta sit symptomatum differentia, quae ut diximus a caussis, et ab aquarum sede nascitur. Sed haec sedes a symptomatis deduci firmiter non potest, quidquid quidam recentiores contra dicant; nam cadaverum sectiones errores in quos labimur aperte demonstrant. Signa tamen aliquatenus illustrant. Si enim humores in anterioribus cerebri ventriculis cumulentur, confestim nervosa symptomata, praesertim oculorum observantur; et ubi ejusmodi symptomata in uno latere apparent, indicant humores in ventriculo oppositi lateris considere. Si hi colligantur in tertio ventriculo, excruciat cephalaea, et deficit vox; si circa cerebellum, manifestantur irregulares, et convulsivi motus musculorum faciei, et colli; si oblongatam medullam invadant, aphonía, et praepedita deglutitio, symptomata sunt maxime observabilia.

§. 1186. Cum hydrocephalus symptomaticus sit, explicatur capitis tumor in primarii morbi decursu; aegri obstupescunt; dilatantur pupulae; adest strabismus, sen-

suum externorum laesio, extremitatum inferiorum paralysis, macies. Secnndarius modo celeriter, modo lente absolvit cursum, idque etiam pro praegressi morbi indole. In primo casu capitis dolor, urinae parcae, alvus adstricta, vomitus, lethargus, pulsus lentus irregularis, involuntariae dejectiones; in altero debilitas ingens, oedema pedum, inclinatio ad somnum, tardi motus, internorum et externorum sensuum imbecillitas, couvulsiones, paralyses observantur. Tandem cum hydrocephalus aut cum oedemate capitis, aut hydrorachia, aut alio morbo complicetur utriusque affectionis occurrunt signa.

§. 1187. Plura in cadaveribus notatu digna reperiuntur. In chronico hydrocephalo deletis, substantia cerebri nunc mollis est et cedens, nunc destructa, nunc membranam refert copiosos humores serosos continentem, qui ad 50. librarum pondus interdum pervenerunt; graciles musculi faciei; ossa cranii cartilaginea: vasa lymphatica ampliora; illa sanguinea plus sero, quam sanguine scatentia; volumen glandulae pinealis,

et pituitariae auctum; et hujusmodi glandulae duriores. Serosi latices in variis locis et in hydatidibus colliguntur, sicut diximus. Si vero hydrocephalus acutus fuerit, dum serra secatur et aperitur cranium, magna humorum quantitas effunditur. Frequentius autem humores in anterioribus cerebri ventriculis, quam in tertio et quarto congregantur, qui modo pellucidi sunt, modo subflavi, modo subrubri, modo aliquid materiae coagulabilis continent. Non raro meninges sunt crassiores, invicem cohaerentes, lympha coagulabili conspersae; vasa sanguinea turgent; substantia cerebri punctis rubris maculata; plexus choroidei tumentes, saepe cum hydatidibus; aliquando in sinu longitudinali inflammationis vestigia. Generatim aquosi humores hydrocephali limpidiores sunt illis hydrothoracis, et ascitis; tamen ejusdem naturae esse videntur, quod nonnulli negant. Interdum in externa superficie cerebri aliqua extat cystis materie viscosa referta; aut tumores substantiae hujusce visceris adhaerentes.

§. 1188. Opiniones de proxima hydrocephali caussa adversae sunt. Etenim alii in inflammatione cerebri, alii in asthenia collocant. Sed a caussa cujusvis hydropis non differre videtur; siquidem aut in actione aucta vasorum cerebri, aut in universali et locali asthenia consistit. Caussae autem remotae pro hydrocephalis differentiis discrepant. Si de congenito loquamur, interdum ab utero plures partus hydrocephalici producuntur. In omnibus igitur adest conformationis vitium; sed quae sunt caussae, quae hanc conformationem lacessunt? quae ossium consolidationem in alvo matris sanae et validae perimunt? Quaevis vero sint, in embrionem agere videntur. Aequum est, interdum malam foetus in utero positionem; animi pathemata; pravum alimentum; morbosas matris affectiones; intemperantem venerem; externas violentias ita in foetum ipsum operari, ut inde hydrocephalicus evadat. Ad chronicum vero hydrocephalum magis compositi sunt debiles pueri, et lymphatica temperie instructi. Quandoque hanc dispositionem per laboriosam et difficilem dentitionem, alia-

rumque caussarum actionem comparant. Quidam hujus hydrocephali originem in congenita ponunt embrionis forma, quod quidem fieri potest; sed interdum pueri perfecte sani in lucem veniunt, et ad aliquod tempus vivunt incolumes, ac deinde per alias caussas ad hydrocephalum disponuntur. Hujus morbi excitantes caussae sunt compressio, cui caput foetus subjacet sub laborioso, aut artificiali partu; alicujus lymphatici vasis; aut hydatidum ruptura; suppressio sudoris et urinae; externae laesiones. Quidquid autem dicitur de infundibulo et glandula pituitaria, hypotheticum prorsus est. Creditur enim infundibulum cavum, et ad humores tertii ventriculi ad glandulam pituitariam mittendos dicatum; et ideo illius obstructio esse hydrocephali caussa. Ille vero acutus post primos vitae menses, et quavis aetate contingere potest, ut observata Watson, Odier, aliorumque confirmant. Caussae sunt quae vasorum cerebri actionem augent, et inflammationem pariunt, ut insolatio, emetica, ferina tussis, etc. Sed in quibusdam haec phlogosis ad effusionem serosam magis prona

videtur, ut cum subsit scrophulosa diathesis, per quam aliae etiam inflammationes viscerum ad eandem successionem praeparantur. Hydrocephalus symptomaticus vel ab acutis, vel a chronicis morbis nascitur, ut sunt febres, rheumatismus, exanthemata, dentitio difficilis, scrophulae, rachitis, morbi hepatis, qui cerebri inflammationem saepe inferunt. Secundarius ulcera improvide exsiccata; repulsionem tineae, crustae lacteae, scabiei, herpetis; repressum purulentum aurium fluxum; haemorrhagias; diarrhoeas; dysenterias; aliosque morbos excipit.

§. 1189. Congenitus hydrocephalus contemnit artem. Satius est eum linquere; nam hoc modo interdum ad plures annos producitur vita. Chronicus vix unquam sanatur; et ubi obtinetur sanatio, est naturae potius, quam arti tribuenda. Interdum remedia, ut purgantia, ossium terebratio, mortem properant. Hujus morbi cursus tardus est, et lente exhibet lethalia signa. Si suturae dehiscant, non superatur tertius aut quartus vitae annus; sed si coalescant, ad adolescentiam, et raro ad majorem aetatem per-

veniunt aegri. Tamen exempla vitae ad quadragesimum, vel quinquagesimum annum prolatae non desunt. Infausta testimonia sunt surditas, pupularum dilatatio, caecitas, ingens capitis augmentum, coma, stertor, spiritus gravis, pulsus debilis intermittens, dejectiones involuntariae, convulsiones, paralyses. Haec praecurrere solent mortem, quae interdum per majorem seri effusionem subitanea est. Acutus etiam hydrocephalus rarissime curationem excipit; sed aliquando ab ipsa natura sanatur. Per hujus enim vim humorum serosorum ejectio vel ab auribus, vel ab oculis contingit. Dubitat P. Franch an unquam hujus morbi evenerit sanatio; nam humores in cerebri ventriculis, post acutam irritationem, et inflammationem affluenter collecti, difficiliter absorbentur. Tamen ejus interpres Morelli sanationis adducit exempla. Signa laeva sunt stupor, oculorum caligo, pulsus debilis frequens, vultus a naturali recedens, anaesthesiae, paralyses. Hydrocephalus quoque symptomaticus et secundarius est discrimine plenus; sed a primariis morbis, a symptomatibus, ab illius cursu

statuitur praesagium. Si enim ab exsiccatis ulceribus nascatur, et haec reproducantur, bona spes est; symptomata modo aliquam effusionem serosam, modo multam, modo proximam mortem indicant, ut lethargus, debilitas et irregularitas pulsuum, involuntariae dejectiones, convulsiones, paralyses; cursus si lentus, locum magis concedit remediis, ut sunt purgantia, diuretica, tonica, vesicantia, fonticuli.

§. 1190. Hydrocephalus chronicus fere quaevis eludit auxilia; et ideo saepe juvat nulla uti medicina. Nam fasciae soporem pariunt; alia infructuosa sunt; alia augent incommoda. Tamen ubi morbi comparent signa, adhibenda sunt diuretica, purgantia, tonica, aptumque vitae regimen. Inter tonica laudantur martialia, decoctiones ex cortice peruviano, aut ex tostis glandibus quercus roboris. Plures ad absorptionem, et salivationem incitandam interius calomelanum, exterius unguentum mercuriale adhibent. Insuper vesicantia, fonticuli, setacea, ustiones, balnea vaporum in usum vocantur. Adhuc agitatur quaestio, an paracen-

tesis vel capitis terebratio conveniat. Hanc in adultis usque ad cerebrum praecipiebat Hippocrates, quam alii inter veteres adoptarunt, alii rejecerunt, ut fere omnes recentiores. Haec enim operatio non amovet morbi caussam, imo solicitat fati diem, cum non amplius ab humoribus comprimatur cerebrum, et ad exiguam molem restrictum. Tamen si a signis deducatur, non in cerebri ventriculis, sed inter hoc et cranium aquam subesse; et hydrocephalus non a morbosa dispositione, sed ab externa violentia proveniat, cum morbus suapte natura lethalis sit, terebratio non contemnenda videtur. Hydrocephalus autem acutus debilitantem medendi rationem postulat, quae temperamento aegrotantis, aliisque rebus circumstantibus respondeat. Si enim puer sit valens, ingens capitis dolor et calor, vehemens arteriarum pulsatio, facies rubra, oculi splendentes, expediunt venae sectiones; hirudines circa aures, tempora, collum, aut cucurbitulae scarificantes nuchae, vel inter scapulas applicitae: deinde purgantia, praesertim si contrahatur alvus. Si torqueat sitis, aqua cremore tartari et sac-

charo temperanda est. Alii aquae niveae simplicis, vel cum aceto applicationem; alii alia commendant; sed post sanguinis missiones, et exposita remedia, nil magis subvenit, quam interius digitalis purpurea, et exterius vesicantia capiti, nuchae, dorso, et extremitatibus inferioribus apposita. Vesicans autem universo capitis admotum maxime fructuosum existimo, praesertim si non cito exsiccetur. Quoniam deinde incitanda sunt cerebri vasa, ut resorbeantur humores, et urinarum secretio promovenda, laudatur internus, et externus mercurii usus, scilicet frictiones ex unguento mercuriali ad collum, pectus, crura. Hoc medicamentum efficax vere est; sed nimis a recentioribus extollitur, quia saepe non ex sententia succedit. Observat Pinel, inter 20. aegros quos hoc remedio curavit Whytt, nullum fuisse sanatum; in meliorem sortem non incidisse Fothergill; unum sanationis exemplum retulisse Watson. Et ubi adhibetur mercurius, cavendum est, ne nimis exstimulet. Praeterea pro variis casibus alia ipsi adjicienda remedia sunt. Inquit Thomas, nil ad

promovendam quotidie copiosam materiarum viridium et mucosarum egestionem esse praestantius, quam unionem mercurii cum aliquot jalapae granis, habito ad aetatem respectu. Sic utiliter adduntur diuretica, quae absque mercurio dari solent. Et ubi frictiones ex unguento mercuriali fiunt, huic adjungitur digitalis purpurea. Plures proponunt errhina, aut sternutatoria, ut aliquod granum radicis veratri cum paucis granis sacchari, sed haec aut nullius utilitatis sunt, aut nocua, si spectetur exigua humorum ex naribus separatio, et damnum, quod cerebro sternutamenti concussio infert. Alii ad absorptionem excitandam suadent emetica, quae etiam parum utilia, aut damnosa existimo. Postremo si superveniant debilitas, spasmi, convulsiones, usurpentur tonica, et antispasmodica, ut cortex peruvianus, radix serpentariae virginianae, flores arnicae, opium, flores zinci, praeparationes martiales. Aeger dum decumbit, caput elevatum teneat, et ne incalescat, pulvinaria crinibus equinis constructa adhibeat. Victus esto levis, potio modica. Si obtineatur sanatio, aër purus et

campestris, apta diaeta, tonica, vinum, et aliqua corporis excercitatio expedit. Si in nonnullis familiis acutus hydrocephalus sit frequens, quantum licet, amovendus, quod fit quibusdam cautelis, remediis, caussasque propulsando, ut sunt cunarum motus, insolatio, aër cubiculorum valde calidus, rerum odoriferarum actio. Praeterea circa tempus, quo morbus prodire solet, servetur alvus cita; applicentur vesicantia extremitatibus superioribus, et inferioribus; super has partes illiniatur unguentum ex tartritide stibii et potassae; dentur diuretica, praecipue si urinarum secretio tarda sit. Si hydrocephalus cum alio morbo complicetur, quae sit hujusmodi complicatio, explorandum est. Si cum externo hydrocephalo, jam diximus quae fieri debent, praesertim lata ulcera ad occiput aut ferro ignito, aut setaceo, aut cantharidibus sunt inurenda: si cum scrophulis et rachitide, laudibus exornantur decoctiones radicis curcumae, rubiae tinctorum; murias barytis, et calcis: si cum herpete, antimonialia. Tandem dum hydrocephalus est symptomaticus, aut secundarius,

non solum notanda est indoles primarii morbi, sed etiam an ejus cursus acutus sit vel chronicus. Si ex. gr. sub difficili dentitione calidum evadat caput, facies rubra, et pauca urina; et signa acuti hydrocephali appareant, statim retro aures apponantur hirudines; deinde exhibeantur purgantia levia; sinapismata applicentur suris, et balnea tepida instituantur. Si vero nascatur a repulsa scabie, et chronicus sit, praeter diuretica, purgantia, vesicantia, ulcera artificialia, illa est revocanda. Veniamus ad hydrorachiam.

§. 1191. Hydrorachia est hydrops cavitatis vertebralis columnae, aut sine vertebrarum laesione, aut cum earum hiatu et externo tumore cystico plus vel minus spectabili. Hydrorachia hydrocephalo affinis, est etiam primaria, symptomatica, secundaria, congenita; simplex, complicata; acuta, chronica. Primaria a caussis manat, quae vertebralem columnam, et medullam vexant; symptomatica a morbosis diathesibus; secundaria alios morbos, et saepe ob cavitatum communicationem cerebri hydropem sequitur;

congenita formatur in ipso utero, et ad hanc pertinet, quae paullo post partum comparet, quia ejus principia jam in foetu abdebantur; acuta ocyssime explet cursum, et cum fere sit inflammationis effectus, ut symptomatica haberi potest; chronica lente progreditur, et nunc primis vitae temporibus, nunc provectiori aetate obtingit.

§. 1192. Vere tenebrosa sunt hydrorachiae indicia sine vertebrarum hiatu, aut producatur a sero, quod a cerebri ventriculis in cavum illarum transiliat, aut in ipso cavo a spinali medulla ejusque involucris scateat. Inter vero haec indicia quaedam sunt illis hydrorachiae cum vertebrarum hiatu similia. Sed in symptomatum ambiguitate egregie juvat caussarum indago, an scilicet praegressa sit encephalitis, spinitis, hydrocephalus, vel externae dorsi injuriae. In vertebrarum enim specu arguuntur humores, si qua caussa praecesserit, et fatigent lassitudo, tremores, torpores, tendinum subsultus, brachiorum totiusque corporis convulsiones, ardor, dolor vertebralis columnae, paraplexia, distortio alicujus ver-

tebrae dorsalis, dyspnoea, identidem vomitus, extrema debilitas, vesicae urinariae et recti intestini sphincteris resolutio. Pleraque symptomata a cumulatis serosis humoribus proficiscuntur, qui in nervos a spinali medulla venientes agunt. Hydrorachia autem cum vertebrarum labe, unde surgit cysticus tumor seri plenus, ab Arabis, et deinde a plerisque spina bifida, et a quibusdam hernia spinalis nuncupata, evidens est, etsi symptomata non semper eadem sint. Persaepe in regione dorsali et lumbali; raro in aliis vertebris; interdum eodem tempore in pluribus vertebris, et etiam in omnibus evenit. Gignitur vertebrarum labes a seroso humore, qui usque ad caudam equinam praeterfluit, ubi majorem resistentiam invenit. Secundum Camper, cum adsit hydrorachia, etiam extat capitis hydrops; siquidem in pueris hydrorachia detentis, si spinae tumorem comprimeret, fontem pulsatilem magis reclusum tumefieri observavit. Sed nemo inficias ibit, aliquando adesse hydrorachiam cum vertebrarum discussione, quin hydrocephalus existat. Tumor a vertebrarum hiatu

surgens est mollis, tensus, pellucidus, subfuscus, indolens, pressioni cedens, aliquantum fluctuans; formae et magnitudinis pisi, aut castaneae, aut unius duorumve pugnorum, pro figura et extensione hiatus vertebrarum; modo basim amplam habens, modo pedusculo adhaerens. Quandoque non unus, sed duo tumores adstant, qui communicant inter se. Subinde integumenta, quae tumorem obducunt, crassa sunt; subinde adeo subtilia, ut sensim transmittatur serum; subinde desunt, et tum serum assidue manat. Sed ut plurimum efformatur tumor dumtaxat a spinalis medullae involucro. Cum cutis tumorem tegit, interdum color naturalis est, interdum a naturali distat. Cum vero integumenta non suppetant, color idem est ac ille subtilis membranae spinalem medullam vestientis, scilicet subruber. Tumoris moles, ejulante puero, vel nisu exonerante alvum, major fit. Sub partu, aut mox, etiam per levissimas caussas, rumpitur. Aliquando vero ultra adolescentiam permanet, et tandem fere gangraena inficitur, ut a colore livido, plumbeo, gangraenosis exulcera-

tionibus, et nonnunquam ossium carie deprehenditur. Dum dissolvitur, humor foetidus, puriformis, ichorodes, sanguineus excedit; hinc inter convulsiones et lipothymias finitur vita. Ut plurimum inflammationes, abscessus, gangraena, caries singulas partes vastant, ipsamque spinalem medullam contaminant, absumuntque. Pro tumoris autem situ, ejusque majore vel minore extensione, et nervorum numero spinalis medullae affectorum, symptomata differunt. Cum spinalis medulla plus vel minus distensionis et compressionis patiatur, ubi fibrarum medullarium persistit integritas, modo quaedam ex his, modo omnes influxum in partes perdunt. Id circo commune hydrorachiae symptoma est paralysis articulorum, vesicae urinariae, recti intestini, caeterarumque partium, quae spinalis medullae excipiunt nervos. Interdum paralysis unam corripit partem, aliasque immunes linquit. Qui hydrorachia laborant, somniculosi et stupidi sunt; parum auribus audiunt; aegre moventur; sine ejulatu in dorsum decumbere nequeunt, et quin convulsionibus corripiantur; et saepe hac po-

sitione hydrocephali signa perspicue manifestantur. Si exploretur pars, ex qua surgit tumor, spina videtur esse duplex. Qui hoc morbo affecti nascuntur, interdum distortos habent pedes; sed saepe hanc distortionem postea contrahunt. Hydrorachia, ut hydrocephalus, aliis conformationis vitiis frequenter jungitur. Ut plurimum vero paullo post ortum convulsiones necant.

§. 1193. Caussa proxima hydrorachiae eadem est ac illa uniuscujusque hydropis. Caussae vero remotae illius hydrorachiae, quae a morbosa collectione seri absque vertebrarum labe nascitur, sunt inflammatio spinalis medullae; externae violentiae, ut matris lapsus, ictus in uterum gravidum, laesiones vertebralis columnae foetus, interdum imperitia chirurgorum illatae. Sectiones Morgagni confirmant, hanc hydrorachiam etsi chronicam, saepe ab inflammatione spinalis medullae, ejusque involucrorum progigni, ut in pluribus illius epistolis videre est. Quod vero ad congenitam hydrorachiam cum vertebrarum scissura spectat, indubium videtur, quin a primis vitae momentis existat

dispositio, quae in structura vertebrarum, intermediarumque cartilaginum non absoluta, et in vasorum spinalis medullae et vertebralis columnae infirmitate consistit, unde aquosi humores in specu vertebrali aggeruntur, atque substantia vertebrarum discutitur. Et cum hydrorachia post partum aperiatur, a tempore quo foetus in utero delituit, illius principia arguenda sunt. Serosi vero latices aut a lateralibus cerebri ventriculis emanantes per aquaeductum Sylvii in tertium ventriculum, et ab hoc in quartum, proindeque in spinalem medullam desiliant; aut in vertebrarum cavo, quin hydrocephalus extet, coacerventur, et hinc vertebrae ab ipsa origine incompositae per aquarum pressionem debiscunt, vel per harum vitiosam indolem illarum substantia roditur, absumiturque. Caussae, quae huic morbo occasionem praebere valent, sunt incongruus foetus positus in utero; vitia uteri ipsius; laboriosus partus; universalis debilitas, Morbosae diatheses, quibus implicantur parentes, ut venerea, scrophulosa, rachitica, scorbutica, non parum ad illam dispositionem in-

ferendam, quam in ipsis suis primordiis contrahit embrio, contribuere mihi videntur. Per eas enim vitiantur humores, solida infirmantur, et osseum ac lymphaticum systema perturbatur. Id observationibus innixus affirmo. Ex genitore venerea lue laborante nascuntur filii aut ad atrophiam compositi, aut deformes; et unus ex his post ortum defunctus, hydrorachia cum vertebrarum dorsi scissura afficiebatur, ex qua tumor pugni magnitudinis, et coloris atro-rubri consurgebat. Hydrorachia symptomatica ab acutis, et chronicis morbis oritur, ut sunt inflammatio spinae, icterus, hydropes, phthisis, scirrhi, etc; secundaria ab aliqua metastasi, vel a praegressis affectibus manat.

§. 1194. Infaustum est hydrorachiae augurium; tamen absolutum judicium non statuitur, nisi morbi species, sedes, gradus, tempora, aliaeque circumstantiae expendantur. Si est congenita et cum vertebrarum laesione, primis vitae diebus fere enecat; et mors promptius advenit, si artis auxilia adhibeantur. Dum foetus vivit in utero, vix morbus ejus incremento opponitur; quod post

partum non accidit. Tamen aliquando ad plures menses et annos producitur vita. Situs vero, gradus, profunditas, amplitudo morbi ad rectum judicium conducit. Imminet enim discrimen, ubi profundus est et amplus. Hydrorachia vero absque vertebrarum hiatu, minus praeceps est. Acuta lethalis est, et eo citius, quo tenerior aetas. Symptomatica spem fovet, si primarius morbus sanabilis sit; contra si proveniat a phthisi, aut alio desperato morbo. Secundaria spe animum allicit, si succedat metastasi materiarum, quae ad pristinam sedem revocari possunt; contra si periculosissimos morbos sequatur. Tum remediis, quae horum morborum natura postulat, solum mortem retardabimus.

§. 1195. Pro curatione hydrorachiae cum vertebrarum scissura, si excipiantur quaedam cautelae, ne rumpatur tumor, et quaedam medicamenta, quae alvum et urinae secretionem movent, et alia quae vigorem et absorptionem augent, nil moliendum est. Si ingens non sit spinae tumor, molli gossipio tegendus; secus laxa fascia sustinendus. Ut puer commode sedeat, in parte posteriore

spatium habeat sedes, molli polvinari circumdatum. Camper proposuit cingulum, in quo sit cavum tumori consentaneum, ad illius rupturam evitandam; sed tumores alicujus magnitudinis facile dissolvuntur, egrediturque serum aut limpidum, aut sanguineum, aut puriforme, et hinc inter animi deliquia, vomitus, convulsiones adventat hora suprema. Ut a funesto fine declinetur, excogitati sunt modi, quorum plures praecipites, et audacissimi. Ex his compressio est, ut discussae vertebrae claudantur; sed haec minus in vertebras, quam in tumorem agit, et ideo fieri potest, quod etiam spinalis medulla, et nervi caudae equinae comprimantur. Tamen in principio, non omissis expositis remediis, utilis esse potest, et ad retardatam ossium duritiem impellendam conducit, dummodo sit levis, et duplicata lintea spirituoso liquore madida, fasciisque suffulta, apponantur. Alia methodus est filis constringere saccum, ut extirpetur. Haec vero aut impossibilis, cum tumor sit amplae basis, aut possibilis et lethalis. Etenim cum tumore vincitur portio spinalis medullae; et etiam

si ligatura evelleretur tumor, idem maneret vertebrarum hiatus. Alii tumorem caedunt; sed hujus apertura vel spontanea, vel artificialis exitiosa est; siquidem accessu aëris in spinalem medullam et nervos gangraena producitur. Quidam Angliae chirurgi tumoris punctionem acu factam suadent, exequunturque, ut Astlhey Cooper, qui eam repetit, donec cumuletur serum. Sed ad hujus mentem rarissime haec operatio institui debet, quae semper anceps mihi videtur, nec per eam vertebrarum hiantium restauratio, ad sanationem apprime necessaria, obtinetur. Majus autem erit discrimen, si sétaceo transfoditur tumor, ut sensim sensimque depleatur, ejusque parietes per illatam phlogosin vicissim adhaereant. Tandem duo proponuntur setacea ad tumoris latera, quae, ut demonstravit experientia, infructuosa sunt. Spectatis ergo periculis, quae expositis medendi rationibus obviam fiunt, ut demonstratum habemus, illam esse curationem, quam indicavimus, nimirum tumoris ruptionem removere, et caute eccoprotica, diuretica, tonica, et quae incitant absorptio-

nem adhibere , ut syrupus cichorei cum rhabarbaro, tinctura scillae , martialia, cortex peruvianus , mercurius dulcis , victus nutriens , modicum vinum , campestris aër. Vesicantia alicujus emolumenti sunt; sed cauteria, et setacea potius augere tormenta, quam aliquod afferre levamen existimo. Eadem auxilia in hydrorachiam absque vertebrarum labe usurpentur. Dum vero acuta est, praemissis quae in rachialgitidem pollent, super columnam vertebralem apponantur vesicantia , et unguento mercuriali unctiones fiant. Interius autem digitalis purpurea , mercurius dulcis , decoctio dulcamarae subveniunt. Tandem si symptomatica aut secundaria sit, non solum curandum est, ut collectum serum in cavo vertebrarum dissipetur, sed etiam ut primarius morbus subigatur. Si hic sit rheumatismus , aut retropulsa podagra, aut repressi cutanei affectus, remedia sunt vesicantia , fonticuli, et quae primarium morbum ad propriam sedem reducunt. Modo vero ad oculorum hydropem gradum faciamus.

§. 1196. Oculorum hydrops hydrophthalmia dicitur. Juxta plerosque nosologos, aut in morboso humoris aquei, aut vitrei, aut utriusque augmento consistit. Saepe augmentum humoris aquei illi humoris vitrei jungitur, teste Scarpa, qui cum aucto humore aqueo incompositum, fusum, et in aquam conversum invenit vitreum. Distinguere vero non potuit, qui ex hisce humoribus ad hanc constituendam aegritudinem magis contulisset. Auctorum vero observationes confirmant, hydrophthalmiam modo a solo humore aqueo adaucto, modo ab adaucto humore vitreo efformari. Quicunque autem sit humor, qui praeternaturaliter, primitusque augetur, certum est, alios inde humores, membranasque oculum componentes perturbari. Si hydrophthalmia primaria sit, a caussis nascitur modo localibus, modo generalibus; si symptomatica vel ab oculi morbis, vel ab aliis proficiscitur.

§. 1197. Cum morbus incipiat aquei humoris incremento, corneae dimensiones augentur, et camera anterior dilatatur. Prout crescit humoris copia, magis tollitur, pro-

minetque cornea, atque oculi globus eo magis tumefit. Cornea pelluciditatem servat; sed eam interdum amittit, quod ut credit Beer, potius ab aquei humoris conditione dependent. In suo augmento extra orbitam ejicitur oculus, quem palpebrae operire nequeunt; ejusque motus perimuntur. Iris deprimitur, et ab interna corneae superficie removetur. Pupula stat, et modo amplior, modo strictior est. Videndi facultas inter initia morbi servata, infirmatur, obnubilaturque. In oculi globo urget tensionis et doloris sensus, ac circa fundum nunc levis et obtusus dolor, nunc gravior cum hemicrania affecti lateris, et ut refert Sauvages cum stupore partium faciei, et quandoque emphysemate, odontalgia, insomniis; denique sub ulteriore augmento molis epiphora, ectropium. Haec etiam ab aliis scriptoribus referuntur; sed in hac hydrophthalmia nec tam acerbum dolorem, nec hemicraniam observavimus, quae vere symptomata vehementis ophthalmiae magis propria sunt.

§. 1198. Hydrophthalmia ab aucto humore vitreo constituta, ab insigni bulbi in-

cremento et ingenti duritie cognoscitur. Quoniam pars oculi posterior praecipue dilatatur, hinc conicam formam assumit organum. Cornea pelluciditatem servat ; sed magis est naturali convexa. Et quia iris etiam convexa eo magis corneae admovetur, imminuitur et deperditur camera anterior. Dilatata pupula parum mobilis est. In lentem crystallinam effunditur umbra a vitrei limbo circa ipsam evecti. Prius extenuatur visio, mox amittitur. Oculi et palpebrarum motus minuuntur et impediuntur. Dolor in principio fere retusus, acerbior factus somnum amovet, et subinde delirium parit.

§. 1199. Hydrophthalmia, quae augmento humoris aquei et vitrei continetur, ab ingenti bulbi mole, quae celerius crescit, accipitque ovalem formam ; ab illius ingenti duritie ; a sublata cornea ; ab iride profundiore; a magna pupulae dilatatione distingui potest. Haec et alia symptomata in decursu morbi contingunt. Dilatatum organum extra orbitam protuberat, nec amplius a palpebris contegi potest ; et cum bovillo similis sit oculus, morbus buphthalmi nomen

adipiscitur. Ab initio perstringitur visus, motusque globi aegre peraguntur, et in orbita gravis tensionis et turgoris sensus urget. Sub morbi incremento oculus fit ovalis, camera anterior extenditur, iris penitius posita videtur, et ut inquit Scarpa, motu etsi levissimo oculi tremebunda. Quovis gradu lucis dilatatur pupula; interdum crystallinus fit subniger, interdum non obnubilatur donec morbus acmen non attigerit. Per aliquod tempus lux a tenebris discernitur; sed cum oculi volumen magis augetur, et crystallinus obscurus fit, omnino perditur visus. Postremo cum oculus extra orbitam tumeat, nec obducatur a palpebris, alia adduntur, quae, ut considerat laudatus Scarpa, a ciliorum attritu, gramiae secretione, lacrymarum fluxu, ulceratione palpebrae inferioris, cui incumbit oculus, et oculi ipsius decorticatione proveniunt. Hinc violentae ophthalmiae cum affectae partis, totiusque capitis doloribus intolerabilibus. Etiam ulceratio profertur, quae corneam pellnciditate spoliat; hinc scleroticam absumit; aliasque oculi partes delet.

§. 1200. Caussae primae varietatis hydrophthalmiae aut internae, aut externae, aut traumaticae sunt, ut vasorum arteriosorum debilitas, aut actio aucta; aër frigidus et humidus; substantiae irritantes et causticae oculo admotae; ictus, et oculi vulnera. In hac hydrophthalmiae varietate aliquam semper tunicarum oculi mutationem adnotavimus; quod alii etiam observarunt, praesertim Wardrop, qui hanc hydrophthalmiam alicui tunicarum oculi morbo semper conjunctam vidit. Sed haec observata talia non sunt, ut statui possit, an tunicarum affectiones caussa sint vel effectus adaucti humoris aquei. Dum vero haec hydrophthalmia symptomatica est ab aliis morbis oritur, ut a vehementi ophthalmia, hydrocephalo, anasarca, staphylomate conico totius corneae, ut observat Beer. Secunda autem varietas juxta nonnullos scriptores est potius aliarum aegritudinum effectus. Asserit citatus Beer, semper cum scrophulosa aut siphilitica diathesi alligari, quod vero perpetuum non est. Sed quia in hominibus pravae constitutionis ut plurimum obtingit, verisimile est, quod,

hac favente, caussarum occasionalium actione primitus oriatur. Hujusmodi caussae sunt frigidum et humidum clima, animi pathemata, et quae localiter operantur. Probabile etiam est, easdem caussas, quae primam et secundam hydrophthalmiae varietatem pariunt, tertiae ansam praebere. Scarpa in camera posteriore oculi nunquam humorem vitreum, sed solum aquam aut lympham sanguineam invenit. Hinc ad sentiendum propendet, tertiam varietatem in morbosa secretione humoris vitrei, et etiam in membranae alveolaris degeneratione consistere, qua constat humor iste, qui hujusce membranae cellulas inter se communicantes adimplet. Si vero haec tertia varietas, symptomatica sit, ut caeterae varietates, aliorum morborum, praesertim vehementium et pertinacium ophthalmiarum sistit symptoma.

§. 1201. Prima varietas hydrophthalmiae curatu ardua, pervicax, anceps est. Tamen si bonus sit corporis habitus; caussae amoveri possint, et ad chirurgicam opem mature deveniamus, in spem redintegrandi visum, et tuendi oculi formam ad-

ducimur. Rursus si pravus sit corporis habitus, caussae graves, visusque deperditus, vix nobis spes subest oculi formam servandi. Sub hisce adversis conditionibus sensim augetur vitreus humor, et degenerat; hinc horrenda oculi deformatio, et mors sequitur. Inspectione cadaverum penitiorum oculi textuum decompositio, et caries ossium orbitae reperitur. Secunda varietas non adhuc progressa, difficillime sanatur, et solum curatione ejus progressio retineri potest. Si autem jam processerit, nec amplius lux a tenebris distinguitur, intolerandi sunt oculi et capitis dolores, somnus, et appetitus, et sensus perimuntur, forma oculi servari nequit, et remediorum ope solum per aliquod tempus dolores, aliaqua gravia symptomata comprimi poterunt. Tandem tertia varietas praeceps est, et in maximum mittit discrimen; nam fere in ophthalmiam cancerosam, et mortem abit. Ad has metuendas consecutiones propulsandas exhauriendi sunt oculi humores methodo, quae opportunior judicabitur, ut illius volumen attenuetur,

et ita denuo in orbitam redeat, ut a palpebris obducatur.

§. 1202. Si prima hydrophthalmiae varietas primaria sit, inquirendae sunt caussae, ut interna et externa adhibeantur medicamina, quae sunt purgantia; decoctiones, et succi plantarum diureticarum; hirudines temporibus applicitae, et collo, aut nuchae cucurbitulae scarificatae; vesicantia, cauteria, setaceum. Vitentur stimulantia, et aromatica; diaeta simplex esto. Sed haec plerumque imparia sunt; morbus progreditur, et eo magis visus perditur. Necesse igitur est ad chirurgiam confugere. Nuck paracentesin exequebatur. Beer, cum sclerotica apud corneam non sit adeo decolor, nec vasa varicosa appareant, in infima corneae parte ad dimidiam lineam a sclerotica punctionem exigua lanceola commendat, ut aqueo humori concilietur exitus. Si fieri potest, per aliquot dies, aut hebdomadas, camera anterior inanis servabitur, quotidie vulnuscula iterum aperiendo; deinde ut postea cataractae extractionem medicabitur oculus. Haec vero operatio, si pravus sit cor-

poris habitus, et vasa sanguinea varicosa, alea plena est; siquidem inflammationem, suppurationem, et etiam organi gangraenam cum impendente vitae discrimine afferre potest. Si vero haec prima varietas symptomatica sit aut secundaria, curatio primarii morbi naturae pedissequa sit. Ergo si est ophthalmiae symptoma, subvenit antiphlogistica methodus, in primis sanguinis missiones, et hirudines temporibus admotae: si repulso cutis morbo subeat, hic revehendus ad cutim est vesicantibus, fonticulis, frictionibus ex unguento antimoniali, ejusdemque insitione; atque eodem tempore efficacioribus internis medicamentis, ut sunt antimonium, sulphur auratum antimonii, sulphur, mercurius. Pro secunda autem hydrophthalmiae varietate aut parum aut nihil remedia juvant. Cum morbus gravior fiat, opus est humori vitreo exitum recludere. Plures per scleroticam acum triquetram in humorem vitreum inducunt, tubumque ibi retinent donec quaedam hujusce humoris quantitas exiverit. Ejusmodi methodum improbat Beer; siquidem cum degeneratio oculi cau-

cerosa, et mors sequitur. Aliam ipse elegit, de qua mentionem fecit Richter, scilicet aperire corneam, lentisque capsulam, ut in cataractae extractione, et facere, ut lens et vitreus humor abeat, et oculi tunicae detumeant. Ne autem denuo cumuletur fluidum, mox Beer fragmentum limbi corneae abscindit; deinde ut post cataractae extractionem tractatur oculus. Pro tertia etiam varietate inania sunt, et interdum nocua medicamina, ut adstringentia collyria, extantisque oculi compressio. Solum nuchae setaceum, et emollientia oculo applicita aliquod symptoma aliquandiu mulcent. Ergo cum oculus extra orbitam protuberare incipiat, expedit operatio. Nuck in corneae centro acu triquetra pungebat oculum. Postea ab aliis sclerotica ad duas circiter lineas ab ejus unione cum cornea perfossa fuit. Verum secundum Scarpa paracentesis habenda non est ut ratio ad hanc aegritudinem curandam, nisi punctio acu triquetra facta inflammationem et suppurationem, et inde membranarum oculi adhaesionem concitet. Ad id comprobandum factis innititur a Nuck relatis, in

quibus operationem resumere; alios modos ad humoris vitrei majorem possibilem quantitatem educendam adhibere; oculum comprimere, eumque corrugatum tenere lamina plumbea intra palpebras et oculi globum immissa, necesse fuit. Idem Scarpa methodum in orbem scleroticam incidendi, utpote noxiam, periculosam, exitialem rejicit. Juxta hunc ill. scriptorem incisione extrudendi sunt humores, proindeque excitanda levis membranarum inflammatio, et intra oculum suppuratio, ut ad fundum orbitae perstringatur et corrugetur. Praefert in centro corneae sectionem circularem trium circiter linearum latam exequi, ut in casibus staphylomatis Celsus docet. Exiguus culter in media corneae parte, ad lineam cum dimidia ab ejus centro introducitur, et tum ex latere oculi ad aliud vertitur instrumentum, parsque inferior corneae instar semicirculi inciditur; inde volsella hoc segmentum extollitur, et dum sursum flectitur culter, explebitur incisio, frustulum trium linearum a centro corneae secando. Ex hac circulari incisione in ipso corneae centro peracta, molli compres-

sione quantitas humorum necessaria detruditur, ut oculi globus imminuatur. Quod autem superest humoris aquei sponte et absque compressione exit. Post operationem apponitur compressa ex sicco panno lineo, fascia sustinenda, donec compareat inflammatio, scilicet ad tertium, aut quartum diem usque. Et cum oculus et palpebrae inflammatione corripiantur, ut hujus cohibeatur progressio, conducunt interna auxilia; et palpebrae cataplasmate tegantur ex mica panis et lacte, omni biborio renovando. Si iterum extra palpebras oculi globus protuberet, subtili pannulo lineo, unguento ex oleo et cera, aut vitello et oleo hyperici illito, pars exstans operitur; applicationem cataplasmatis ex pane et lacte non linquendo. Inquit auctor, cum pars interior oculi suppurare incipiat, inflammationem imminui, et globum perstringi, donec in orbitam redeat. Haec autem suppuratio facile deprehendi potest. Tandem oculi globus ad cicatricem tendit, et tam restringitur, ut inter palpebras et bulbi reliquias artificialis oculus inseri possit. Quinto die si levis inflammatio et partis interioris

oculi suppuratio non adveniat, ipse oculum objicit aëri, aut particulam circularem corneae dimidiae circiter lineae, aut parum amplius, volsellae et curvarum forficum ope recidit. Haec methodus est illi Richter praepouenda, qui incommodam corneae divisionem exequebatur, et quatuor limbos, aut totam anteriorem oculi partem in sclerotica resecabat. Nescio vero, an praeferenda sit paracentesi, quae acu triquetra fit; nam paracentesis methodus simplicissima est; et cum humores iterum oculum inflant, operatio iterari potest, quae facile inflammationem et suppurationem promovet, ut non solum ab observationibus Nuck, sed etiam aliorum deducitur. Ill. meus praeceptor Joseph Flajani, ut refert vol. I. observ. pag. 157., bis punctiouem acu triquetra peregit, et ad novam seri collectionem impediendam, mollem turundam foramini indidit. Deinde ut suppuratio sollicitaretur, forfice globulo munita incisionem dilatavit, ut mollia filamenta immitterentur. Ita laudabilem suppuratiouem, et sanationem obtinuit; atque ad deformitatem abdendam, locum habuit artificialis oculus.

Sed satis de hydrophthalmia; ad pectoris hydropes transeamus.

§. 1203. Morbosa seri collectio in cavitate pectoris vocatur hydrothorax. Sed statutum est hoc nomine vel dextrae, vel sinistrae, vel utriusque cavitatis thoracis hydropem audire. Hinc dicitur pulmonis hydrops, si in ejus parenchyma dispergatur serum; mediastini, si in ejus duplicatione hoc stagnet; hydropericardia, si in pericardii cavitate. Quandoque serosi humores in cellulis inter pleuram et intercostales musculos colliguntur, et hic hydrops proprie ad hydrothoracem non pertinet, quia humores in cavitate pectoris non continentur. Hunc P. Frauch vocavit spurium, ut alium legitimum. Sed hujusmodi appellatio minime accurata videtur, cum saepe uterque aequalem habeat originem.

§. 1204. Hydrothorax est primarius symptomaticus, secundarius; acutus, chronicus; simplex, complicatus; liber saccatus. Primarius symptomatico longe rarior, a generalibus hydropis caussis nascitur; symptomaticus et secundarius a morbis universalibus vel localibus, acutis vel chronicis;

acutus ab affectionibus inflammatoriis pectoris, et ideo est potius symptomaticus, quam primarius hydrops; chronicus lente procedit; simplex a cumulatis serosis humoribus in pectoris cavitatibus constituitur; complicatus aliis morbis, aliisque hydropis speciebus conjungitur; liber est, cum per thoracis cavitates serum effunditur; saccatus, cum in cellulis, saccis, hydatidibus continentur humores.

§. 1205. Difficilis et ambigua est primarii hydrothoracis diagnosis; assidua tamen observatione hic morbus detegitur. Aggreditur fere sensu ponderis ad partem inferiorem pectoris; respirandi difficultate, quae motu, ascensu in clivum, somno, supinitate augetur; tussis et sitis molestant; urina praeparca, rubra, crassa, facile subsidens; pulsus persaepe debilis; etiam ictus cordis debiles, molles, regulares; alvus ut plurimum clausa; arida cutis; facies pallida, tumida; oedema manuum, pedum, crurum, scroti, labiorum vulvae, et interdum etiam fauces et tonsillae oedematosae sunt; brachiorum torpor; extremitatum frigus; non-

nunquam pectoris concussione fluctuatio, quae ab ipso aegro, dum se se movet, percipitur; cum in una pectoris cavitate subsideat serum, facilis est in latus affectum cubatus, et brachium humerusque ejusdem lateris magis torpent. Haec vero pathemata increscunt, aliaque prodeunt, prout gliscit morbus; magisque noctu vexant, sed flectuntur diluculo, cum ad condenda lumina placidior subrepit somnus. Ab aucta humorum vi opprimuntur pulmones, et operosior fit respiratio; somnus horrendis visis abrumpitur, et ad fugiendum suffocationis periculum, aegri collo ad partes anteriores inflexo sedent; cum tussi, quae in initio erat sicca, materiae mucosae, sanguineae, et ipse sanguis expuitur; vox fit debilis, rauca; pulsus inaequalis, intermittens, frequens, parvus, imperceptus; extenuatur vultus, oculi sunt tristes, nasus et labia livore confecta; ungues etiam livent; tandem cum organa vitalia humoribus obruantur, animae fere interclusione vita cessat. Observandum autem est, quod cum hydrops unum pectoris latus occupat, si hoc percutiatur, sonum profun-

dum ; dum percussum latus ab aquis immune , clarum et naturalem edit. Si vero aquae utramque cavitatem oppleant , concussus thorax dat sonum obtusum , longe ab illo dissimilem , quem efficit , dum aquis liber est ; aegre absolvitur respiratio , et hinc necessitas in lecto sedendi ; circa epigastrium , et hypochondria deprehenditur tumor , qui formatur ab aquis , quae gravitate in diaphragma feruntur. Et cum ab aquis una cavitas impletur , ad respondens hypochondrium tumor est. Si haec signa disjuncte considerentur , ut pulsus inaequalis , tussis sicca , sitis, somnus interruptus cum suffocationis periculo , palpitatio , syncope , etc. satis non sunt , quippe quae aliorum morborum , maxime vitiorum cordis , vasorumque suspicionem afferunt. Interdum vero magna signorum pars non comparet , etsi extet hydrothorax , et progrediatur. Etenim subinde respiratio non laeditur; commoda est cubatio; sitis non torquet. Et quamvis commodior est cubatio in affectum latus , cum hydrothorax unam cavitatem teneat ; tamen interdum aegri in latus sanum facilius decumbunt. Praestanter hoc

foenomenon ita exposuit Burserius Tom. 7. inst. med. pract. = Id autem tum potissimum fieri videtur, cum pulmo, qui lateri aqna immnni respondet, vitium contraxerit, et ita labefactus sit, ut respirationi obeundae impar ferme evaserit; pulmo vero in latere aqua oppleto sanus existat, et solus fere respirationem absolvat, perficiatque. Nil igitur mirum, si hydrope laborans tunc facilius, feliciusque lateri ab aqua libero incumbat, cum aqua mediastinum versus maximam partem revoluta, pulmo aquae innatans minus prematur ideoque commodius ad aërem inspirandum explicetur. = Cum igitur hydrothoracis diagnosis anceps sit, enixe symptomata, et caussae perlustrentur. Si enim hae comprehendantur, et praeter alia praecipua symptomata, humorum fluctuatio in pectore percipiatur, de existentia morbi non erit dubitandum. Fluctuatio ab Hippocrate deprehensa, rejecta ab aliis, qui eam nunquam perceperunt, est absque dubio certius signum. Ego pluries in Nosocomio S. Spiritus hanc claram sensi curavique, ut alii etiam adverterent. Ut autem

fluctuatio percipiatur, necesse est, pectoris cavitates nimium non oppleri; hydropem esse liberum; nullam inter pulmonem et pleuram esse adhaesionem; et serum ita solutum, ut ex una parte ad aliam facile diffundatur. Quantitas autem et qualitates seri valde discrepant. Interdum enim paucas uncias ponderis non superat; interdum ad plures libras pervenit. Sic est limpidum, lacteum, turbidum, crassum, flavescens, virens, purulentum, sanguineum. In chronico vero hydrothorace ut plurimum est luteolum, subviride, opacum. Camper hydrothoracis serum evaporationi exposuit, et ad dimidium ponderis redegit, et albuminosam atque coactam materiem obtinuit. Nonnulli contendunt, quandoque serum, licet paucum, propter acrimoniam respirationis laborem, constrictionesque pulmonum spasmodicas afferre. Haec acrimonia nusquam demonstrata, possibilis tamen est; nam si ab aliis diathesibus inficiantur humores, fieri potest quod serum acres qualitates adipiscatur, et ob vellicatum exposita inducat symptomata. In acuto hydrothorace, qui etiam a signis morborum phlo-

gisticorum pectoris cognoscitur , serum est fere puriforme, albis filis et pseudo-membranis mixtum , et saepe sanguine tinctum. Symptomaticus hydrothorax ab existentibus morbis comprehenditur , qui eum expedite progignere valent , ut cordis , vasorumque aneurysmata ; mala pectoris constructio; asthma ; generalis hydrops: secundarius a praecedentibus morbis , ut a retropulsis exanthematibus , vel impetiginibus ; a quibusdam consuetis exinanitionibus cohibitis , ut illae alvi , et haemorrhoidum sunt.

§. 1206. Cysticus hydrothorax difficilius distinguitur. Dum dissecantur cadavera, cystides membranosae, aut hydatides sero scatentes inveniuntur. Hujusmodi oppletae cystides pulmones comprimunt , et inde gravis evadit spiritus. A respiratione laesa ; anxietate ; brachiorum , manuum , crurum , pedum tumore; urinis non imminutis, sed immutatis; importuna tussi; impossibilitate resupinandi , ut aeger in lecto sedere cogatur; fluctuationis defectu ; lenta febre cysticum hydrothoracem conjicimus. Cum haec symptomata fuerint observata post mortem in pul-

monibus hic hydrops repertus est. Etsi interdum adesset, ubi nec oedema pedum, nec respirandi labor afflixerunt, tamen memorata symptomata ut plurimum non desunt, quae a respiratione et circulatione sanguinis impedita propter compressionem et pondus, quod cystides aqua refertae faciunt in pulmones, proficiscuntur. Aliquando cystides rumpuntur, humor in pectoris cavitates profunditur, proindeque liber hydrops constituitur. In ruptionis articulo subitaneum hujus sensum percipiunt aegri, et interdum tussiendo ex ore ejicitur humorum quantitas, et sic aliquod invenitur sanationis exemplum.

§. 1207. Mediastini hydrops plerumque hydrothoraci jungitur. Eaedem caussae utrumque generant. Serum in anteriore mediastini cavitate fere colligitur; nam si in parte posteriore inter vertebras et illius divergentes laminas serosus humor cumulari incipiat, per spatia telae cellulosae et musculorum circa dorsum expedite diffunditur. Cum igitur serum in anteriore mediastini cavitate consistat, aeger molestum ponderis sensum sub sterno patitur; respiratio difficilis est,

praesertim supino cubatu ; et dum corpus lateri incumbit, hoc aquae gravant. Quoniam vero hic hydrops difficillime solus obtingit, descripta symptomata ab aliis sejuncta rarissime observantur.

§. 1208. Appellatur pulmonum hydrops, cum serosi humores in eorum substantia textuque celluloso aggerantur. Dicitur etiam pulmonum oedema, et secundum Darwin anasarca pulmonum. Scriptores veteres, et recentioris memoriae dum de hydrope pectoris, de illo quoque pulmonum disputant. Hippocr. lib. II. de morbis, ubi de hydrope pulmonis loquitur, graphice hydrothoracem delineat. Inter symptomata illius febrem et tussim recenset, ut patet, ex hisce verbis = Ἢν δὲ ὕδερος ἐν τῳ πλεύμονι γένηται, πυρετὸς καὶ βὴξ ἴσχει. Si hydrops in pulmone fiat, febris et tussis tenet = Riverius autem prax. med. lib. VII. cap. v. de hydrope pectoris hoc scriptum reliquit = Serosus iste humor vel ipso pulmone gigni potest, proprio ipsius vitio; dum scilicet proprium alimentum non bene concoquit, sed illud in serosum humorem con-

vertit, qui sensim ad thoracis cavitatem transmittitur; quod etiam fieri potest vesiculis hydatidibus in pulmone excitatis, iisque disruptis, quae ab Hipp. recensitae sunt lib. de internis affect., et a quibusdam auctoribus observatae. = Revera hujusmodi hydropes saepe insimul conjunguntur; sed interdum pulmones solum replentur sero. Inquirenda ergo symptomata sunt, quae hunc affectum patefaciunt. Ubi quaedam affligat respirandi difficultas; facile excitetur tussis; corporis partes oedematosae fiant, praesertim facies, et pedes; pulsus sint parvi, depressi; eo magis pectoris anxietas, sensusque ponderis crescat, quo magis in pulmonibus seri copia augeatur; et hinc orthopnoea, major debilitas, pulsus magis oppressi, et exiles fiant, de pulmonum hydrope certi erimus. Ille autem hydrops, qui non convenienti nomine a P. Franeli vocatur falsus, consistit in materiae fere puriformis inter pulmonum lobos collectione, quae peripneumoniae succedit.

§. 1209. Secundum naturae institutum quaedam seri quantitas in pericardio continetur. Ut igitur formetur pericardii hydrops,

ille humor tam augeri debet, ut cordis motum et actionem impediat. Seri quantitas in pericardio consueta varia est ; sed generatim cum Corvisart conveniunt omnes , pericardii hydropem constitui, si sex aut septem uncias serum excedat. Scriptores ante Morgagni maximam difficultatem hujusce morbi diagnoseos comprehenderunt. Et quisque medicinam exercet non ignorat, quam hic primarius hydrops rarus sit utpote fere vitiorum cordis , magnorumque vasorum symptoma. Hunc quidam fatentur , nunquam vidisse , ut apud Morgagni Epist. XVI. 20. deducitur. Praeterea cum pericardii hydrops ut plurimum cum illo cavitatum pectoris complicetur ; id diagnosin difficiliorem reddit. Tamen ubi solitarius et primarius contingit , curiosa signorum indagine cognosci potest. Haec signa sunt laboriosa respiratio ; difficilis supinus cubatus , unde aegri , corpore ad anteriora deflexo , sedent; tussis noctu asperior ; pulsus debiles , inaequales, intermittentes , parvi ; cordis motus turbatus , oscillans , modo huc modo illuc perceptus; fluctuatio, quae ab aegro, praesertim dum mo-

vetur, et interdum manu medici sentitur; haec vero minus quam in hydrothorace sub tactum cadit; et obscurior est, dum pericardium humoribus repletur, sicut animadvertit Vanswieten; palpitatio, a cordis motu fluctuante dissimilis, aut deest, aut adeo vehemens est, ut abrumpat somnum; nullus editur sonus, si sinistra pectoris pars percutiatur; anxietas, et molestum pondus ad regionem cordis; interdum pars sinistra pectoris magis dextera extollitur; adveniunt animi deliquia; facies nunc pallida est, nunc rubra; hebetes fiunt aures; et dum ampliatur morbus, superveniunt delirium; sputa saepe sanguinea; virium lapsio; extremitatum oedema, praesertim brachii et sinistrae manus; tument facies, palpebrae, labia, quae etiam livent; sopor, sensusque suffocationis opprimit; minuuntur artuum tumores; propinquant convulsiones et obitus. Cum humores in pericardio confestim cumulentur, et hoc praetermodum distendant, deorsum urgetur diaphragma, ejusque distrahuntur appendices, et excitatur lumborum dolor, qui ut inquit Morgagni constans non

est. Sed hoc dici etiam potest de aliis symptomatibus. Ergo necessaria est symptomatum syndrome quae morbum certo revelet. Sed adnotandum est quod alia dubia sunt, alia aliis morbis communia, alia magis praesentia. Palpitatio cordis non est perpetua, ut exponit Morgagni cit. epist. 23. Haec fuit observata, cum humor acris esset, et pericardii hydrops cum cordis polypo complicaretur. Fluctuatio est signum consideratione dignum; sed non semper percipitur. Pondus gravans et constringens cor, incertum indicium est, utpote ab aliis observatum, ab aliis numquam, et inde rejectum. Quandocumque hydropis pericardii foenomena per qualitatem, et quantitatem collecti humoris differre videntur. Communia autem aliis morbis symptomata plura sunt, ut tristitia, consumptio, lenta febris, faciei pallor, oculorum languor, extremitatum frigus. Evidentiora, et constantiora signa sunt pondus sub sterno supino decubitu, aut corpore dextro lateri incumbente auctum; respirationis difficultas; motus cordis nunc ad dextram nunc ad sinistram partem perceptus;

praecordiorum anxietas; in quovis corporis motu suffocationis periculum; pulsus parvus, frequens, irregularis; quidam sensus, ut si cor nataret in aqua; in progressu morbi faciei tumor, et labiorum livor; vires deletae; vox rauca; convulsiones. Non raro sinistrae partes dexteris tumidiores sunt, et pulsus sinistri lateris magis exilis et irregularis est. Hujusmodi signa, si caeteris alligantur, certiores nos faciunt de existentia hujusce morbi. Cum autem acutus sit pericardii hydrops, etiam signa absconditae illius phlogoseos non desunt, ut febris, internus ardor, et dolor. Interdum circa pericardium et cor reperiuntur hydatides; et ideo pericardii hydrops esse potest hydatidosus. Morbosus humor in pericardio collectus quoad indolem, et quantitatem differt. Etenim est limpidus, fere lacteus; luteolus, viridans, subniger, purulentus, urinam olens et salsus; aut in eo flocci albuminosi natant, pracipue si hydrops ab inflammatione nascatur. Interdum hic humor acer est, ut experientia doctissimorum virorum confirmavit, ex quo propinquae partes admodum irritantur. Pro-

babiliter talis fit, cum post graves aegritudines in pericardio congeratur; aut cum diu in hoc immoretur. Quantitas vero modo exigua est, modo maxima, unde pericardium distenditur, comprimuntur pulmones, et in arctum, praesertim sinister, compelluntur, atque diaphragma deprimitur, proximaeque costae nonnunquam recedunt.

§. 1210. Caussae primarii et chronici hydrothoracis sunt quae vitae vires prosternunt, partibusque rubris depauperant sanguinem. Huic parati sunt homines provectae aetatis; qui remissam, desidem, et sine legibus vitam gerunt; aërem humidum et infectum respirant. Caussae, quae morbum excitant, sunt cibus non satis nutriens; immoderata venus; affligentia animi pathemata; abusus vini, liquorum spirituosorum, narcoticorum, evacuantium, phlebotomiae; effusae haemorrhagiae; inflare musica instrumenta; exhalationes calcis et acidorum mineralium recipere; assidua ignis actio; gestare pondera; etc. Acutus vero hydrothorax nascitur ab inflammationibus pectoris. Symptomaticus ab asthmate; fractu-

ra, et lussatione costarum; mala pectoris conformatione; aneurysmatibus cordis, majorumque vasorum; concretionibus polyposis aortae; ossificatione valvularum; hepate scirrhoso, ex quo in pectoris cavitatem pellitur diaphragma, et comprimuntur pulmones. Secundarius a retropulsis exanthematibus; a pertinacibus intermittentibus febribus; ab aliqua consueta exinanitione cohibita; ab exsiccatione inveteratorum ulcerum, et fonticulorum. Hydrops autem pulmonum oritur a generalibus hydropis caussis; in pueris ut plurimum a prava nutritione. Frequentius vero aliis morbis succedit, ut retrocessioni morborum cutaneorum; in puellis defectui menstruorum; in adultis expulsioni oedematis extremitatum inferiorum. Quandoque etiam ab inflammationibus, et catarrhalibus affectionibus producitur. Hydrops mediastini, si chronicus, a debilitantibus caussis; si acutus ab inflammatione oritur. Si hydrops pericardii primarius ab iisdem caussis hydrothoracis, pulmonum, et mediastini hydropis; et a pathematibus, quae cor constringunt, ut timor, et terror; et a violentis

percussionibus in sinistram pectoris partem ; sed saepius a pleuritide, peripneumonia, inflammatione cordis et pericardii, retropulsis cutaneis morbis , aneurysmatibus , symphysi, et polypis cordis manat.

§. 1211. Inspectione cadaverum plura adinveniuntur ; ut in extinctis hydrothorace vitia cordis , vasorumque ; aortae valvulae osseae, ut etiam interdum osseae factae costarum cartilagines ; ingentes hepatis obstructiones ; major vel minor seri quantitas in cavitatibus pectoris , quin ullum extet vitium in organis ; serum subinde foetidissimum , subinde in pluribus saccis membranaceis collectum. Post pericardii hydropem quandoque serum reperitur absque ullo cordis vitio ; et ut plurimum etiam in cavitatibus pectoris illud diffunditur ; sed quandoque cordis et vasorum vitia non desunt. Invenit Testa exiguum cor ; interdum concretionibus polyposis refertum , pseudo-membranis obductum , erosum, et dilatatam aortam. Contra Morgagni praemagnum reperiit cor. Pericardium plus minusve distentum , ingenti sua distensione pectoris cavitates opplet.

Pluries erosiones cordis observatae sunt, quae ab acrimonia seri productae videbantur, ut a pluribus epistolis laudati Morgagni educitur. Aliquando post mortem oedema extremitatum inferiorum disperditur. Cum expertissimo juvene Jo. Bapt. Vincentelli in nosocomio S. Spiritus medico secundario militis triginta quinque annorum cadaver secuimus, in quo conformatio pectoris, cor, et omnia vasa erant naturalia; sed pericardium sero subnigro adeo plenum et distentum, ut magnum occuparet spatium, pulmonesque utrobidem pleurae adhaerentes coangustaret. Etiam subnigrum serum sinistram pectoris cavitatem inundabat, dum vacabat dextera. In cursu morbi tam perspicua fuerunt praecipua thoracis et pericardii symptomata, ut nobis fuerit expeditum statuere judicium. Et in hoc casu observavimus statim post obitum insigne crurum et pedum oedema evanescere. Ejusmodi foenomenon etiam ab aliis fuit adnotatum, sed nunquam expositum. Ergo animadvertere nobis liceat, quod dum morbus ad finem properat, imminui incipit oedema; siquidem serosi humores co-

piosius diriguntur ad pectus. Per illam enim quae in extremitatibus inferioribus] remanet absorbendi vim, humores versus internas partes transferuntur. Et quoniam circa vitae finem corripiunt convulsiones, et frigus inferiores extremitates invadit, eo magis ad interiora lymphatici humores propelluntur, ita ut, ea peracta, non amplius oedema in ipsis extremitatibus observetnr.

§. 1212. Hydrothorax est morbus discrimine plenus, et saepissime lethalis; tamen non desunt sanationis exempla. Si primarius sit, et ab actione frigoris, retentaque perspiratione profectus, liberalibus sudoribus, excreatu materiarum concoctarum, abundanti urinarum secretione, aliisque separationibus liberis, resolvi potest. Si contra graviores sint caussae, exacta aetas, infirmum temperamentum, infructuosa medicamina, resolutio morbi impossibilis est. Infausta symptomata sunt difficultas attrahendi aëris, ut necesse sit aperire fenestras, et in lecto sedere; sitis inexpleta; urina praeparca et admodum colorata; cibi fastidium; oedemata

partium; artuum stupor, et paralyses; coma, delirium, convulsiones; febris; macies; vultus a naturali recedens; vocis defectus; sputa sanguinea, quae ut plurimum eduntur, ubi ad extrema ventum est, cum ab humorum proluvie pulmones comprimuntur, aut eroduntur. Quandoque vero symptomata leviora sunt, et remediorum actione mitescunt; copiosior fit urina; ad naturalem ordinem restituuntur secretiones; brachia non stupent, nec tumefiunt manus; tumorque pedum cum levamine apparet. Sed quamvis res ita se habet, semper timendum est; siquidem eadem symptomata nonnunquam improviso pejora fiunt. Evanescit oedema pedum, et e vestigio maximum urget respirationis negotium, animaeque interclusionis periculum; adaugetur humorum vis in cavitatibus pectoris; hydrops generalis evadit, et viscerum vitalium actio perimitur. Quandoque discutitur hydrothorax; sed si redeat, lethifer fere est. Etiam acutus pectoris hydrops, licet interdum aliqua ducimur spe, periculosissimus est, et non raro velociter exitiosus, ut ab asperrimis pectoris

doloribus, difficillima respiratione, acuta febre, ingenti interno ardore, arida lingua, urenti halitu, siti inextinguibili, inopia et rubore urinarum, somno perturbato cognoscitur. Quoad autem symptomaticum, aut secundarium hydrothoracem, ratio primarii morbi habenda est. Qui a vitiis cordis et vasorum, aut ruptione lymphaticorum vasorum oritur, insanabilis est; qui in extrema tabis pulmonalis periodo supervenit, mortem properat: contra animum pascit sanationis spe qui post aliquam immodicam exinanitionem accedit, si recte procedat curatio; aegri temperamentum faveat; aetas non provecta; nullusque animi pathematum affligentium influxus. Etiam pulmonum hydrops magnum portendit discrimen; tamen si a signis prompte reveletur, facilius per alvi fluxum, liberalem urinae secretionem, et excreatum sanari potest. Sputa serosa ad ejiciendam seri quantitatem in pulmonibus collecti maxime utilia sunt: Mediastini hydrops ominosus est, et saepe validiora contemnit auxilia. Omnes in hoc morbo conspirant, in usum esse vocanda chirurgiae auxilia, ut cum in mediastino con-

tingit suppuratio, purisque collectio. Pericardii hydrops, si hydrothoraci nectatur, ut plurimum mortifer est; et licet simplex sit, ejus curatio semper difficillima est, praesertim si ita concussae sint vitae vires, ut humorum absorptio nullo modo sperari possit. Etiam funestus est hic hydrops, si acutus, et a pericardii, et cordis inflammatione ortus.

§. 1213. Primarius hydrothorax plerumque asthenicus est; idcirco sanguinis missio nocet, et quamvis aliquod afferat levamen, fugax est et fallax; nam paullo post morbus ejusque symptomata ampliora fiunt. Interdum tamen institui potest, nimirum cum aetas sit juvenilis, valida temperies, pulsus durus, spiritus gravis. Plura remedia praescribi solent; sed essentialia sunt diuretica, purgantia, epispastica, tonica. Inter diuretica scilla, digitalis purpurea praeferantur. Haec detur ad aliquot grana, et pro cujusque aetate, viribus, temperie. Sic scilla, ne stomachum laedat, et nauseam advehat. Hanc etiam saepe juvat opio et calomelano conjungere. Sed etsi haec praemineant non

raro effectu vacant; et tum alia adhibeantur diuretica, ut terra foliata tartari, genistae cineres, rob sambuci, spiritus salis dulcificatus, spiritus nitri, etc. Verum admodum celebratur oxymel colchicum partitis dosibus et ad aliquam octavam exhibitum. Inter autem purgantia praeponantur salina, quae humores pellunt, quin debilitatem augeant, ut drastica solent. Quoad epispastica, vesicantia extremitatibus superioribus et inferioribus, et pectori apposita maxime utilia sunt, praesertim si parum praestiterint diuretica, et respirationis negotium fatiget. Sic interdum egregie profuerunt cauteria brachiis et femoribus apposita. Tonica autem expediunt, cum diuturnus sit morbus, viresque exhaustae. Ex his chalybeata, et aquae martiales praestant. Remedia quae suadent auctores plura sunt, ut emetica, quae certe non juvant, imo saepe nocent; diaphoretica, sed magis interest urinae separationi favere, nec aliis remediis perturbanda est diureticorum actio; expectorantia, quae interdum locum habent, sed frequentius in pulmonum oedemate, quia

pulmones a sero in eorum interstitiis collecto facilius liberantur, quam si illud in pectoris cavitatibus resideat; balsamica, ut terebinthina, balsamum copaive, peruvianum, quae vere interdum adjuvant, praecipue ubi diuretica non auxiliantur. Tantlem a plerisque proponitur paracentesis, quam lib. II. de morbis ita praecepit Hippocrat. = καὶ, ὅπη ἂν ψοφέῃ, ταύτῃ ταμνειν βύλεοται δὲ ὡς κατωτάτω, ὅκως τοι ἐύροον ἔῃ· et qua parte strepitum perceperis, ea secato, quam potes infimo loco, quo effluxio facilis contingat = Ad paracentesin verō veniendum est, cum remedia imparia sint, et suffocatio immineat. Punctio fit inter nonam et decimam costam, ad quinque vel sex transversos digitos a spina. Haec interdum prospere cessit; et ideo immerito a quibusdam damnatur. Ad hanc prohibendam diagnosis ambiguitas, frequens pulmonum adhaesio pleurae, valida quidem argumenta non sunt, ubi reliqua supervacua experimur. Cum nulla sit conjunctio inter pulmones et pleuram, per operationem acu triquetra peractam nulla contingit laesio. Paullatim aquae sunt e-

ducendae, ut vitentur damna, quae ab illarum subitanea detractione subsequi possent. Tamen quia saepe pulmones pleurae adhaerent, mihi videtur usum acus triquetrae linquere, et cultro prius cutem; deinde musculos intercostales et pleuram incidere. Nonnulla autem symptomata sunt, quae peculiarem animadversionem merentur. Si ex. gr. evanescat crurum oedema, quod maximum affert periculum, statim cruribus admovenda sunt vesicantia: si difficillima sit respiratio, largum vesicans apponatur pectori: si torqueat pertinax tussis, conveniunt quae eam sedant, praecipue opium, et ex eo composita: si frigescant extrema, involvantur pannis laneis, et oleo egelido amygdalarum dulcium frictiones fiant. Victus sit digestu facilis, ventriculum non gravans, et satis nutriens. Si aeger ad convalescentiam perveniat, aliqua exercitatione utatur, ab aëre frigido sedulo se subtrahat, purumque aërem respiret. Dum vero hydrothorax acutus sit, et ab inflammatione pectoris nascatur, emissio sanguinis expedit, aliaque antiphlogistica remedia, victus tenuissimus;

deinde diuretica, purgantia salina, et vesicantia adhibenda sunt. Si symptomaticus, aut secundarius sit, curatio disponatur, prout primarii morbi postulant. Cum pendeat a cordis et aortae vitiis, prudenter usurpentur diuretica, et evitentur stimulantia. Pauca grana digitalis purpureae, aut scillae utiliora sunt. Purgantia non tam saepe repetantur, ne debilitatem et consumptionem inferant. Frid. Hoffmann radicem asclepiadis vincetoxici adjungebat scillae, scilicet tribus granis scillae totidem radicis asclepiadis, usque ad sex grana, et octo nitri miscebat. Familiare remedium P. Franch fuit octava salis tartari, aceti scillae q. s. ut saturetur, aquae juniperi aut petroselini unciae octo, syrupi simplicis uncia. Hujusce mixturae unciam dabat omni bihorio. Sed circa hanc formulam filii Josephi judicium refero, qui vol. 7. sui operis pag. 335. in nota inquit = Fateor tamen illam ob id minus idoneam esse, quod acetum scilliticum variae prorsus est vis in variis pharmaciis. Contingit hinc ut si fuerit debilis, unciae tres pro saturatione requirantur, quae nimiam tunc con-

tinent scillae dosin = Si autem hydrothorax originem habeat a duritiis viscerum abdominalium, praesertim hepatis, eccoprotica, scilla cum calomelano, aliqua diuretica, et aperientes decoctiones, ut quinque radicum, cichorii intybi, taraxaci, etc; unctiones mercurii super abdomen perutiles sunt. In pluribus vero casibus quaevis medela frustranea est, ut in ultima phthisis pulmonalis periodo. Tamen necessum est, vires sustinere; excreationem per chermes minerale, et urinas per aliquam diureticam decoctionem ciere; sed a validioribus diureticis declinandum est, utpote quae febrem augerent, et morbi symptomata. Pro pulmonum autem hydrope excreatus utilis est, et ideo promovendus; sed etiam diuretica, calomelanus, vesicantia juvant; et merito laudantur balnea pedum, quae ad inferiora arcessunt humores. In mediastini hydrope chirurgicum auxilium est ossis sterni terebratio, ut ad extrahendum pus instituitur. In pericardii hydropis curatione eadem ac in illa hydrothoracis teneantur praecepta; sed quia praesentiora remedia effectu

carent, quidam celeberrimi viri chirurgicarum operationum auctores sunt. Alii sterni terebrationem persuadent ad pollicem a cartilagine xyphoide, quae propter maxima pericula probanda minime est. Quapropter ad punctionem acu triquetra inter tertiam et quartam costam impellit Senac, quae oblique versus cartilaginem mucronatam dirigatur, ut magna vasa et partes fugiantur, quorum vulnus periculosissimum foret. Sed haec etiam ratio, quam excogitatam potius quam peractam arbitror, discrimine plena est. Richerand autem ad extrahendas aquas, morbumque radicitus curandum, imaginatus est aperitionem adversum cor, procurans ut iisdem ac in hydrocele processibus moveatur inflammatio. Quis vero non videt discrimen, in quod haec conjiceret operatio? Ergo in hunc hydropem impos est ars, omnesque chirurgiae operationes reprobandae. Sed ulterius procedamus.

§. 1214. Morbosa serosi humoris aggestio in cavitate abdominis peritonaeo circumscripta dicitur ascites. Graecum nomen ἀσκίτης hydropem utricularium exprimit; et

revera serosus humor ut in utre continetur. Siquidem, ut in hydrothorace, non semper latex libere diffunditur in abdominis cavitatem, sed interdum in saccis, cystidibus includitur, quae in pluribus partibus visceribusque abdominalibus adesse possunt, hinc variis nominibus abdominis hydrops distinguitur, quae locum indicant, ubi existit humor vel liber, vel saccis inclusus. Vocatur ascites abdominalis cum in cavitate abdominis peritonaeo coercita congeratur humor; visceralis, et speciatim stomachalis, intestinalis, mesentericus, omentalis, si aut in ventriculo, aut in intestinis, aut in mesenterio, aut in omento hujusmodi humor cumuletur; saccatus, si in saccis, cystidibus, hydatidibus retineatur. Ascites proprie liber abdominalis est; et etiam cum humor in ventriculi cavitate comprehendatur, quod paucies contingit. Si enim latex aut in geminatis peritonaei membranis, aut in cellulis textus cellulosi, qui peritonaeum musculis abdominalibus conjungit, congregetur, hic hydrops vulgo peritonaealis dictus, vere saccatus est.

§. 1215. Ascites abdominalis primarius vel est acutus, vel chronicus. Acutus ab inflammationibus peritonaei, aliorumque viscerum abdominis proficiscitur, sed potius symptomaticus est. Ille primarius est et acutus, qui nascitur ab inflammatoria diathesi, et methodo antiphlogistica curandus, sicut est qui a Sauvages calidus ascites nominatur. Chronicus lentus est, et a caussis oritur generalem et partialem atoniam afferentibus. Ascites symptomaticus a morbis vel acutis vel chronicis manat; secundarius alios morbos praecedentes excipit.

§. 1216. Chronicus, et primarius abdominalis ascites, cujus cursus tardus est, non semper in suo principio expedite dignoscitur. Saepe in abdominis cavo extricatur aër, ex quo ita ipsum abdomen distenditur, ut potius tympanitis, quam ascitis imaginem sistat. Tamen haesitatio dissolvitur, si ad praecipua attendamus symptomata, et morbus progrediatur. Ampliatur abdominis moles, quae fere ovalem formam offert; assidue exercet sitis; urina est praeparca, rubra, subsidens; in latere ubi decumbit aeger ma-

gis percipitur ponderis sensus, dum in altero minuitur distentio; respiratio difficilis, praesertim cubatione supina; sicca tussis, quae abrumpit somnum; molesta ambulatio; inappetentia; arida cutis; consumptio, potissimum faciei, brachiorumque; oedema pedum, crurum, femorum, labiorum vulvae, scroti, penis qui interdum sub scroti tumore tam corrugatur, ut vix cerni possit; tamen partes, in quas aegri cubant, maxime lumbi, et non raro per universum corpus distenditur subcutaneus hydrops; sub sensus cadit aquarum fluctuatio, si abdominis latus prematur manu, et altera percutiatur oppositum; clauditur alvus; flatus et borborygmi fatigant; quandoque in regione epigastrica acerbus dolor; venarum flexus per cutem circumspicitur; pulsus modo debilis, modo frequens, modo tardus; versus finem lenta febris cum interno aestu; sitis inexplebilis; vehementer arescit lingua; vox aspera fit; aggrediuntur convulsiones, animi deliquia, sopor; extremitates frigent; comparent maculae lividae, et ecchymomata; vacillant pulsus; dejectiones involuntariae; ingens ab-

dominis meteorismus; tandem efflatur anima. Cum progressio morbi lenta sit, in reside latice, qui depravatur et corrumpitur, viscera macerantur, proindeque circa illius finem horum viscerum gangraenae signa manifestantur. Reses autem aqua varia est, nimirum limpida, sublutea, turbida, subnigra, crassa, viscosa, puriformis, sanguinolenta. Si abdominalis ascitis symptomata considerentur, ab ascite saccato distingui poterit, cujus signa mox exponemus; et a gestatione, licet ut admonet P. Franch quandoque gestationis indicia obscura sunt, et illa ascitis fallacia; quandoque gestatio supervenit asciti, qui post partum evanescit; quandoque fluctuatio non percipitur, et hydrops saccatus creditur, et ideo aegrotantium damno negligitur paracentesis. Quandoquidem hi casus contingunt, cavendum est, ne in errores incidamus, in quos practici etsi expertissimi nonnunquam offenderunt. Necesse igitur est, ut nobiscum reputemus, quod in gestatione, et in hydrope saccato, caussae et signa desunt hydropicae diatheseos, quae in abdominali ascite

aperte prospiciuntur, ut habitus cachecticus, pravum alimentum, deprimentes animi affectus; et praeter exposita signa, aquosi tumores saepe in partibus cernuntur, maxime subcutaneus hydrops. Quum vero ascites abdominalis acutus est, et a peritonaei, aliorumque viscerum abdominalium inflammatione ortus, foenomena hujusce inflammationis praesto sunt. Sic ubi symptomaticus est aut secundarius, nunquam desunt primariorum morborum symptomata. Interdum est effectus febrium varii generis; scirrhi uteri; effusae haemorrhagiae; inveteratae diarrhoeae, et dysenteriae; scorbuti; scrophularum; venereae luis; metastasis podagrae; retrocessionis morborum cutaneorum; retentionis menstruorum, et haemorrhoidalis fluxus; obstructionum hepatis, et lienis, quae intermittentes febres aut nimis sollicite persanatas, aut diutinas, et ipsi peruviano cortici reluctantes, excipiunt.

§. 1217. Ascites saccatus non tam facile discernitur, praesertim si exigua sit humoris quantitas, quae in saccis, et cystidibus continetur. Parum universum per-

vertitur systema, potissimum inter initia; sitis non valde molestat; urinae secernuntur; parum immutatur appetitus; non adeo minuuntur vires; vultus a naturali non recedit; somnus non adimitur aut parum; respiratio minus quam in abdominali ascite ambulando offenditur. Verumtamen tam in initio ascitis saccati, quam in progressu, qui illo abdominali ascitis lentior est, quaedam manifestantur signa, quae multa verisimilitudine eum detegunt. In initio prodit ad partem tumor, qui fixus manet, et lento gradu cum tensionis et ponderis sensu crescit, cujus forma inaequalis, et irregularis est; nulla deprehenditur fluctuatio; parum urget sitis; urina turbida; vix respiratio laeditur. Hac ratione diu progreditur morbus. Sed dum augetur tumor diaphragma comprimitur, et hinc spiritus gravior fit, et alia prodeunt symptomata, quia etiam aliae partes comprimuntur. Adeo subinde porrigitur tumor, ut universum distendat abdomen, simuletque abdominalem ascitem; sed fluctuatio deest. Quandoque autem etsi tumor ad tantam molem perveniat, non mutatur faciei color; nec ap-

petitus, nec digestio perimitur. Generatim non cernitur anasarca, sed in diuturnitate morbi facies, extremitates inferiores, scrotum, labia vulvae tumescunt. Postremo cum vitietur contentus humor, sequuntur symptomata, quae ad mortem ducunt, ut dolores, internus aestus, exulcerationes, lenta febris, et macies.

§. 1218. In peritonaeali ascite abdominalia viscera hydrope immunia sunt. Quoniam aquae in saccis efformatis a laminis, et sepimentis cellulosi textus, qui peritonaeum musculis abdominalibus conjungit, colliguntur, hinc in abdomine plures tumores diversae magnitudinis observantur. Cum incipiat morbus nullus est dolor, et vix turbantur functiones; siquidem parum universum offenditur systema. Interdum morbus absque molestiis, et signis interni hydropis segniter excrescit; interdum celerior est, et graviora patefiunt symptomata. Tumor, vel tumores magnam abdominis extensionem occupant, unde abdominalia viscera praesertim supino decubitu comprimuntur, eorumque functiones labefiunt; aegre respira-

tio exercetur; et ob depravationem collecti humoris oritur lenta febris, macies, et supra modum vires eliduntur.

§. 1219. Diagnosis visceralis ascitis generatim ab illa cujusvis saccati hydropis parum distat. Saepe in hepate cumulatur aqua, aut sub exteriore membrana, aut in parenchymate; aut efformantur hydatides. Vesica quoque fellis quandoque impletur seroso latice; aut ejus membranae oedematosae fiunt; aut etiam in ipsa effinguntur hydatides. Id etiam in liene, mesenterio, ventriculo, et intestinis obtingit. Simplex omenti hydrops raro occurrit, sed fere abdominali compositus. Horum vero hydropum indicia obscura et dubia sunt, si pauci excipiantur casus. Mihi pridem ventriculi hydropem noscere actutum obtigit, cujus historiam paucis referre juvat. Cum juvenis viginti circiter annorum, gracilis temperiei, in procerissimae pinus suburbanae villae Pamphiliae summitatem conniteretur, ab insigni altitudine delapsus, ingentes in dorso, brachiisque contusiones pertulit. Aliquot vero post dies coquendo alimenta impar, haec cum potio-

nibus reddebat vomitu , ita ut brevi tempore viribus destitutus et consumptus decumberet. Duobus exactis mensibus incepit febris intermittentis larva , cum eum adeundum me parentes accersiverint. Haec febris paullo post fiebat lenta cum anxietate , vigilia , sensu ponderis et remissi doloris in regione epigastrica, magna abdominis distentione, quae ab ipso epigastrio incipiebat , et assiduo vomitu serosi et subnigri humoris. Post sexaginta dies ab initio febris occubuit aeger ; et in ejus cadavere omnia viscera erant in naturali statu ; sed in ventriculo enormiter distento , et laxo circa triginta libras ejusdem humoris , qui rejiciebatur , reperi.

§. 1220. Ascites abdominalis chronicus a generalibus hydropis caussis nascitur; ideo huic dispositi sunt debiles , cachectici, male pasti , et palustrium regionum incolae. Frequentiores vero excitantes caussae sunt immodicae aquae potiones ; abusus purgantium, venae sectionum, spirituum ; affligentes animi affectus , praesertim tristitia. Ascites autem abdominalis acutus procedit a phlogistica diathesi, et a peritonaei, viscerumque ab-

dominalium inflammatione. Etiam partialis et saccatus ascites aut a caussis debilitantibus, aut ab inflammationibus manat. Caussae enim debilitantes, praecipue si particulariter in peritonaei membranas ejusque plicaturas, in textum cellulosum, in ventriculum, aliaque viscera agant, partialem et saccatum hydropem gignere potis sunt; sic ab inflammationibus efformantur sacci et cystides, quae humore replentur. Quoniam a lympha coagulabili componuntur pseudo-membranae, per quas etiam vasa transeunt, ex illis conflantur sacci, modo visceribus adhaerentes, modo in eorum substantia absconditi. Liquida, in ejusmodi saccis retenta, prius tenuia sunt, mox densiora, et interdum adeo vitiantur, ut saccos ipsos exulcerent. Quoad hydatides, hae mihi videntur frequentius a morsa lympha, quam a vermibus, aut a vasorum lymphaticorum, vel folliculorum dilatationibus produci. In istis translucentibus vesiculis serum fere perspicuum est; interdum turbidum, puriforme, sanguineum. Hydatides variae sunt, nimirum rotundae, ovatae, pyramidatae; solae, aut racematae;

aut in una parte, aut in pluribus dispersae; aut membranis et visceribus adhaerentes, aut natantes in undis. Cum rumpantur, earum membranae contrahi possunt, proindeque indurescunt. Ratione hujusce contractionis, plures recentiores arbitrantur, hydatides non morbosum effectum esse, sed ad animale regnum pertinere. Sed quis dubitare poterit, quin ab inflammationibus novae procreationes aliqua vitalitate instructae efformentur?

§. 1221. Multa quidem exstispiciis inveniuntur vasorum, membranarum, et abdominalium viscerum vitia. Haec in ascite abdominali primario extant in visceribus, quae ut animadvertimus, in stagnantibus depravatisque humoribus macerantur. In symptomatico autem obstructiones hepatis, lienis, glandularum mesenterii frequentes sunt. Viscera saepe reperiuntur pallentia, flaccida, eorumque vasa turgentia; ut et calculi, abscessus, inflammationis et gangraenae vestigia. Quandoque inveteratae viscerum obstructiones alicujus lymphatici vasis ruptioni originem dederunt. Non raro in vasibus sanguineis polypi, dilatationes, ossificationes

offenduntur. Humor vero aut in cavitatem abdominis diffusus, aut in saccis retentus, quoad colorem, densitatem, chemicasque qualitates dissimilis est.

§. 1222. Ascites abdominalis liber periculosus est, curatu difficilis, saepe lethalis; saccatus serius ocyus funestus. Si chronicus et primarius contingat in senibus, et viribus destitutis; et a validioribus caussis nascatur; ejusque symptomata gravissima sint, ut arida cutis, manuum tumor, fauces siccae et asperae, consumptio, febris lenta cum interno aestu, maculae lividae, tormina, laboriosa respiratio, coma, urinae interceptae cum convulsionibus, nulla nutrimur sanationis spe: contra in juvenibus, et ubi mitiores sint caussae, et bona appareant indicia, ut assidua refectio virium; ventris imminutio; urinae quae potionem excedunt; sitis, cutis ariditas, respirationis negotium decrescens; appetitus et absoluta alimentorum digestio; jure sperandum est. Quandoque disrupto ad umbilicum abdomine exiluerunt aquae, et sponte hydrops sanatus est. Cum autem abdominalis ascites acutus sit, faci-

lius emendatur, dummodo sanguinis missionibus, et medicamentis refrigerantibus curetur. Pejor enim evaderet, si adhiberentur quae in alium ascitem conveniunt. Si symptomaticus sit aut secundarius, prognosis varia est; ut si a levibus et recentibus obstructionibus hepatis vel lienis promanet, cum hae non difficile resolvantur, sic recens hydrops feliciter discutitur; contra si obstructiones insignes sint et veteres. Item si ascites proveniat ab aliqua metastasi, salus speranda est, si materies intus translata foras evocabitur. Sauvages Nos. meth. tom. 2. pag. 503. ita inquit de ascite a repressa scabie = Bis in nosocomio Monspeliensi accidit a suppressa scabie ascitem supervenisse, qui frustra tentatis caeteris auxiliis, sanatus est assumpta scabiosi tunica, unde repullulavit scabies, et ascites evanuit; vix unquam in ascite succedunt sudorifera, in hac specie tamen indicata videntur. = Ascites vero saccatus aut citius aut serius ducit ad obitum; nam remedia interius sumpta inutilia sunt, quia sacci, cystides, hydatides vasis absorbentibus carent, et tantum aliqua

vitalitate gaudent. Paracentesis alea plena est, et plerumque properat vitae finem. Etenim aut fluidum in abdominis cavum spargitur, aut nimis densum non expedite a saccis egreditur, aut sacci jam extensi, et adhaerentes contrahi et obliterari nequeunt, aut a punctione inflammationes, suppurationes, at gangraenae producuntur. Cum igitur humor nec remediis internis, nec paracentesi abstrahi possit, corrumpitur, et hinc exulcerationes, febris lenta, consumptio, et mors sequitur. Cum ascites ab hydatidibus constituatur, hae persaepe plures sunt et dispersae, et ideo nunquam paracentesi exhauri possent, etsi insimul conjunctae.

§. 1223. Curatio secundum morbi speciem, caussasque disponenda est. In gravem labuntur errorem, qui nimis generaliter curant. Erravit Brown qui nutrienti diaeta, stimulantibus, et opio semper tractabat ascitem; magis peccant systematici, qui contraria ratione exhauriunt vires, morbique caussam saepe augent. Ergo si ascites abdominalis chronicus sit, opus est caussas removere, collectumque fluidum eripere. Hinc

purgantia, diuretica, unctiones, paracentesis, diaeta nutriens, aliaqua corporis exercitatio, purus aër, sunt quae praesertim subveniunt. Purgantia salina praeferuntur, licet interdum magis conveniunt fortiora; diuretica, ut scilla, digitalis purpurea, oxymel colchicum, etc; unctiones sint oleosae, aut substantiis diureticis succisque gastricis animalium paratae. Ubi haec sine emolumento sunt, ad paracentesin veniendum est; quae licet remedium palliativum sit, levamen affert, et efficit ut alia experiamur. Etenim in usu diureticorum perseverare debemus, ne recolligatur aqua, et quidem eo citius, quo saepius fit paracentesis. De hac vero, et de tempore, quo instituatur, dissentiunt practici. Alii enim cito, alii serius eam fieri volunt, alii fere nunquam admittunt. Sed pro diversis casibus modo non expedit, modo perutilis est et necessaria, et tum nec nimis prompte, nec nimis tarde fieri debet, ne perdantur vires. Cum enim sperari possit vel per naturae conamina, vel per artem discuti ascitem, ut a validitate virium, remediorum efficacia, aucta urinarum copia, imminutione

symptomatum cognoscitur, satius est a paracentesi abstinere. Si vero haec desit spes, instituatur paracentesis, ut evitentur mala, quae ab abdominis distensione, et ingenti stagnantium aquarum congerie promanant. Si permittant vires, uno tempore extrahantur aquae; sed quia subsequi potest syncope, apta fascia paullatim aequaliterque, prout aquae egrediuntur, comprimendum est abdomen. Viribus vero jam actis, aut non amplius peragi potest paracentesis, aut iterando abducantur aquae; et interim aut vino aut jure fulciantur vires. Abductis aquis, ad vires ipsas sustentandas, partibusque distractis restituendum robur, et urinae secretionem promovendam, frictiones fiant aromaticae, conservetur ligatura, usurpentur tonica, et diuretica, et alimenta concedantur, quae facile concoquuntur, et bene nutriunt. Si vero abdominalis ascites acutus sit, sanguinis missionibus, potionibus refrigerantibus, levibusque purgantibus curandus est. Si subigatur phlogistica diathesis, sed ascites perseveret, exposita remedia, praesertim diuretica conveniunt. Si symptomaticus sit, vel

secundarius, secundum ejus originem statuitur curatio. Si a levibus et recentibus hepatis et lienis obstructionibus oriatur, hae resolvendae sunt rhabarbaro, terra foliata tartari, sapone veneto; sero lactis cum succis cichorii, parietariae, cerefolii; unctionibus oleosis; emplastri parietariae et absinthii; et eodem tempore dentur purgantia, et diuretica. Si vero obstructiones insigniores sint et veteres, interius et exterius adhibendus est mercurius, et diuretica. Itaque pro usu interno scilla mercurio dulci adjungi potest; pro externo frictiones mercuriales fiant. Sed si hujusmodi obstructiones insolubiles sint, et inveteratus ascites, ob dejectas vires nec fortiora purgantia, nec paracentesis locum habent; at solum diuretica, unctiones ex oleo vel unguento scilla aut digitali purpurea cum succo gastrico composito. Ab auctoribus maxime laudatur oxymel colchicum ad drachmam sumptum, utpote urinas largiter movens. Sic si ascites est intermittentium febrium symptoma, remedia sunt levia emetica, purgantia salina, cortex peruvianus ejusque praeparationes, et eodem tempore

diuretica ; si scorbuti , prius levissima purgantia , antiscorbutica , diuretica , tonica, et tandem lac asininum ; si scrophularum, rhabarbarum , mitia aperientia, ut tinctura chalybis, gummi ammoniacum, decoctiones bellidis scrophulariae , extractum dulcamarae , diuretica ; si haemorrhagiarum , vel diutinorum ventris fluxuum , in primis adstringentia , deinde tonica et diuretica. Si autem ascites haemorrhagiis succedat, ne magis frangantur vires , evitentur purgantia , sed tantum diuretica et roborantia praestant ; si repressis cutaneis morbis , quae eos restituunt ad propriam sedem utilia sunt, ut sudorifera , fotus , frictiones , vesicantia , et alia jam recensita remedia , si persistat morbus. Saccatus ascites internis obstat medicamentis , nec ob expositas rationes peragenda est paracentesis ; tamen in usum vocari debent, quae ascitis abdominalis curationi inserviunt, maxime diuretica, et unctiones oleosae. Quoad vero peritonaealem ascitem, quidam contra paracentesin non repugnant , dummodo non tam extendatur, et sacci molles sint ; siquidem in nonnullis casibus uti-

les incisiones repertae fuere. Sed ejusmodi casus rari sunt; nam ut plurimum hic hydrops per varias cellulosi textus divisiones profertur, et sacci non solum non sunt molles, sed magnam offerunt duritiem. Non solum igitur paracentesi non exhauriuntur sacci, sed etiam ansa funestis suppurationibus praebetur. Sed ad aliam speciem, seu ad hydrometram sermonem convertamus.

§. 1224. Hydrometra est serosi humoris in utero, tubis Fallopii, ovariis, et ipsis latis rotundisque ligamentis collectio. An interdum humor inter uteri membranas cumuletur, ob observationum defectum vere asseri non potest. Uteri hydrops habet diversa nomina, prout gestationis aut vacuitatis tempore contingit. Etenim cum in utero vacuo colligatur humor, dicitur hydrometra ascitica; si in utero gravido inter internam hujus superficiem et membranas foetum involventes, hydrometra gravidarum. Ad hanc vero spectat hydrops, qui ab exuberanti liquore amnii, et alter qui ab aquoso latice inter chorium et amnium collecto constituitur. Cum autem humor interdum in vesiculis hydatidosis con-

tinetur, vel utero, vel placentae adhaerentibus, hic hydrops hydrometra hydatica nuncupatur. Humor qui uteri hydropem constituit, modo tenuis, modo viscosus est. Et quippe interdum puriformis, vel sanguineus, a Sauvages appellatur hydrometra vel puriformis, vel sanguinea. Haec igitur dum primaria est, aut cum gestatione, aut sine obtingit; dum symptomatica aut secundaria, aliorum morborum, sed ut plurimum uteri, effectus est.

§. 1225. Inter hydrometrae asciticae initia apparent nonnulla signa, quae eam cum graviditate confundunt, ut menstruorum defectus, inappetentia, nausea, lumborum dolor, languor; sed distingui poterit, si observetur, quod hypogastrii tumor paullatim crescit, et uteri formam servat, et inducit pondus et difficultatem incedendi, et anterius flectendi corpus; quaedam subest hydropica dispositio; aquarum fluctuatio, quae compressione saepe deprehenditur; extenuatur urinae secretio; oedema extremitatum inferiorum; deficit foetus motus, licet ille aquarum hunc simulat, etsi multum

dissimilis ; os uteri attenuatur et distenditur , dum in gravidis est aliquantum molle atque salebrosum; ubera flaccescunt , quae graviditate turgent. Hydrometra autem longius gestatione solet permanere , et adeo augetur uteri tumor , ut sursum propellatur diaphragma , et respiratio difficilis fiat; excitatur tussis , anxietas , palpitatio cordis , vomitus , ciborum fastidium , dolores , alvi compressio , flatus , et tandem lenta febris, macies , profusi sudores , mors. Quandoque in cursu morbi inopinatae et spontaneae liquidi in uteri cavo collecti effusiones contingunt, quod iterum facile colligitur, unde uteri tumoris incrementum et decrementum, sub oculos interdum cadens, exponi potest. Quandoque etiam ampliatus uteri tumor offert ascitis speciem ; sed ille incipit a regione pubis , et parum in principio perturbat functiones. Quoad autem signa hydrometrae gravidarum, si aquae inter uterum et chorium consistant, ad magnum , et monstruosum volumen increscit abdomen , ut duos subesse foetus habeatur suspicio. Cum uteri os hiare incipit , et corripiunt dolores , magna aquarum

exsilit quantitas, priusquam amnii humor egrediatur. Sed interdum hujusmodi humor tempore gestationis variis vicibus effluit. Si vero aquae inter chorium et amnium extiterint, earum copia minor est. Si in amnii cavo colligantur, offenditur foetus nutritio, qui languet, consumitur; saepe moritur, et mortuus in utero diu manet. In hoc hydrope foetus motus deficit, aut debilis est, et multae sunt molestiae, quas perpetiuntur mulieres. Adest oedema pedum, ingens abdominis moles, et cum uterus admodum distenditur, dolores partus incipiunt; sed etsi uteri os aperiatur, et recte foetus caput veniat, per plures horas tormina languent. Et cum foetus natet in aquis, si ejus caput digitis prematur, facile sursum pellitur. Cum hydrometra hydatica extra graviditatem contingat, vesiculae hydatidosae uteri superficiei adhaerent. Ab istis vesiculis aquae plenis, magnus quandoque producitur abdominis tumor. Interdum in gravidis in hydatides placenta desciscit, quod nisi partu non cognoscitur. Tum foetus est degener, exiguae molis, magnaque hydatidum copia

circumdatus. Quaedam rarissima exempla apud auctores inveniuntur graviditatis, quae in massam membranaceam, globosam, hydatidibus refertam desiit. Istis in casibus celeriter intumuit abdomen, et post aliquot menses acerbissimis doloribus expulsa fuit massa vesiculis obsita, quae quandoque humorem pellucidum, quandoque subnigrum, quandoque subcruentum continebant.

§. 1226. Hydrometra primaria a caussis hydropis fere nascitur. Huic ergo paratiores sunt laxae mulieres, et quae juventutis flore chlorosi laborarunt, aut per deflexam aetatem orbantur menstruis. Hanc autem excitant animi deprimentes affectus, menstruorum irregularitas, praeposterae obstetricium operationes, abortus, casus, ictus, quidquid uteri orificium obstruit, ut portiones placentae, sanguinis grumi, densioris muci quantitas. Symptomatica vero ab aliis scatet morbis, ut spasmis passionis hystericae, ex quibus uteri orificium saepe clauditur; scirrhis, polypis, aliisque tumoribus in uteri cavo compositis, qui magis collum tenent et implent; vitiis organicis oris ejusdem vi-

sceris ; vaginae adhaesionibus , quae vel a difficili partu , vel ab ulceribus venereis, vel ab aliqua laesione producuntur. Secundaria originem trahit a praecedentibus morbis , ut a fluore albo , a lentis uteri inflammationibus. Tandem hydrometra hydaticae scaturigo nos latet , aut illa tempore vacuitatis , aut gestationis eveniat ; nam nec uteri laxitate , nec alia ratione exponi potest.

§. 1227. Si a caussis facile amovendis hydrometra primaria nascatur , ut est uteri oris obstructio a densioribus mucis, sanguinis grumis , placentae reliquiis , minus gravis et periculosa est , quia ab ipsis uteri contractionibus , et a pondere retenti humoris caussa ipsa pellitur , morbusque evanescit. Contra discrimine plena est , si ejus caussae maxime infirment et labefactent uterum ; hydropica subsit dispositio ; conjungatur anasarca ; infringantur vires ; frequentia animi deliquia , palpitatio cordis , aliaque prodeant infausta symptomata. Cum ab irregularitate menstruorum scaturiat hydrometra , quia magis turbatur uterus, augetur sterilitatis caussa. Tamen quaedam steriles

post hydrometram, dummodo modicam, conceperunt, pepererunt, et sanae factae sunt. Videtur ergo hydrometra torpidam uteri actionem incitasse. In gravidis frequentissima est aquarum spuriarum collectio, quae dum terminos non praetergreditur, et in provecta gestatione formatur, timenda minime est; siquidem nec infringitur uterus, nec offenditur foetus. Ex adverso si inter gestationis initia fiat, ex qua maxime enervatur foetus, qui aut occumbit, aut infirmus in lucem venit. Aqua inter chorium et amnium sita excedit, dum in partu exterior membrana disrumpitur. Cum vero aqua in amnii cavo exuberet, saepe moritur foetus, et mortuus diu moratur in utero. Hydrometra hydatica extra graviditatem anceps est, quippe quae non raro insignem abdominis tumorem, et alia gravia symptomata adducit; tamen interdum plurium hydatidum expulsione feliciter evanuit. In graviditate vero foetus incremento opponitur, et etiam efficit, ut abigatur partus. Illa vero quae nascitur a degeneratione placentae, sponte partu ipso sanari potest. Eventus autem hydrometrae symptomaticae

aut secundariae varius est. Si enim excitetur a spasmis hystericae affectionis os uteri constringentibus, statim ac nervorum commotio in tranquillum conferatur, uteri os aperitur, abeuntque humores: si a vitiis collum et os uteri, et vaginam occludentibus, ut sunt fungosae excrescentiae, polypi, steatomata, aderit sanationis spes, si illa abripi possunt; contra, si nulla ratione sint abducenda, ut scirrhus est admodum extensus. Sic si hydrometra diuturnam consequatur leucorrhoeam, propter maximam generalem, et partialem uteri atoniam, sanatu difficillima est.

§. 1228. Curatio hydrometrae primariae ab illa generali hydropis, nisi per quasdam dissimiles caussas, non differt. Ergo remedia generalia sunt quae absorptionem, et secretionem urinarum movent, ut purgantia, emetica, diuretica, hydragoga. Emetica vero non conveniunt, nisi in initio, et cum nulla circa uteri os organici vitii habeatur suspicio. Praeterea liberae conserventur functiones, et modica praecipiatur exercitatio. Alia adhibenda sunt quae caussas amovent.

Si morbus generetur a coacto sanguine, aut a tenaci mucosa materie, quae os uteri obstruat, balnea, semicupia tepida, injectiones, suffimenta, pessaria emollientia juvant; sed si caussa hisce restat, emeticis et purgantibus incitanda est uteri actio. Haec simplex methodus magis praestat; nam fistulae, candelae, stimulantia pessaria, quae non parum uterum lacessunt, fugienda sunt. Si in gravidis inter uterum et chorium aggerantur aquae, partu abeunt. Si vero sitae sint inter chorium et amnium, sub partu prius disrumpitur exterior membrana, et aquae abscedunt, deinde etiam interior; sed si tormina langueant, et haec non rumpatur, ut juvetur partus, scindatur digito. Si aquae in amnii cavo cumulentur, et caput foetus recte se offerat, saepe per plures horas debilia sunt tormina; tum ut ad expulsionem foetus excitentur utilia, membranae digitis lacerandae sunt. Hydrometra hydatica, expulsis quandoque hydatidibus persanatur; sed nonnunquam aperitur uteri os, et illae in eo remanent. Hoc in casu laudatur incisio; sed fere nunquam fieri posse mihi videtur. Hy-

datides enim ut plurimum multae sunt, et in altiori loco positae, ubi incisio peragi non potest. Diversa autem pro hydrometra symptomatica et secundaria curatio est. Si est hystericae affectionis symptoma, apta sunt balnea, semicupia tepida vel aquae communis, vel mineralis; et quae spasmos solvunt et sedant; si nascitur ab aliquo organico vitio, hoc est, si fieri potest, auferendum. Tandem cum omnia perperam in hydrometram experti simus, necessitate compulsi, ad paracentesin veniendum est.

§. 1229. Aliquando hydrops in Fallopii tubis, ovariis, et etiam ligamentis sedet. Ejus signa dubia sunt, et saepe cum graviditate uteri et ovariorum scirrhis confunditur. Lente progreditur, et mobilis tumor sensim sensimque mirificam magnitudinem attingit. Fere consistit in latere, et regio abdominis respondens extensa est, et obnitens, atque molestat sensus ponderis. Persaepe menstrua retinentur; et coxa ejusdem lateris est dolens, torpens, oedematosa, atque in ejus superficie venae turgent. Contentus humor est subluteus, subviridis, subruber, puriformis;

nunc in cavitate tubarum et ovariorum liber, nunc in saccis et vesicis clausus, nunc in ipso humore hydatides repertae sunt. In principio morbi mitia sunt symptomata; sed mox tumore aucto gravissima fiunt, ut appetitus defectus, virium dejectio, corporis consumptio. Interdum distinguitur fluctuatio in latere, et ideo ab illa ascitis diversa. Signum a Voisin exhibitum, et ab Alibert relatum, est uteri remotio a naturali positu, prout gliscit tubarum et ovariorum tumor. Hoc vero signum pondus habet, provecto morbo, cum uterus in hypogastrium extolli debeat. Praeterea novum non est, utpote ab aliis jam perspectum. Inquit P. Franch, cum tumor est ingens, uterum laedit, eumque in obliquum positum adigit, amovetque a pelvis axi. Sedes hydropici tumoris, an scilicet tubae vel ovaria sint, ob proximitatem partium decerni nequit. Saepissime tubae et ovaria eodem tempore afficiuntur hydrope; interdum etiam lata et rotunda ligamenta. Cum autem arduum sit harum partium tumores hydropicos ab aliis tumoribus diversae indolis distinguere, non solum symptomata

tam praecedentia, quam concomitantia, sed etiam caussae naviter ponderentur. Quacunque vitae periodo tubarum et ovariorum hydrops contingit; sed saepius postea, quam antea pubertatis tempus. In virginibus uteri hydrometra rara est; nam si in ejus cavo colligantur serosi humores, dum redeunt menstrua, per os apertum abeunt: sed si hujusmodi humores retineantur in tubis et ovariis longe difficilius expelluntur. Caussae excitantes similes sunt illis hydrometrae uteri, et cujuscunque hydropisis; sed frequentiores sunt violentiae externae, et interdum lentae phlogoses.

§. 1230. Hic hydrops alea plenus est, et saepe lethalis. Superat potentiam artis, si nimis sit provectus, suscitetur febris cum interno ardore, elidantur vires, et tabescat corpus. Subactus interdum fuit, cum non adeo inveteratus, nec hydropicus tumor ad insignem extensionem pervenerit, et omnia fuere propitia. In progressu hujusce hydropis symptomata patefaciunt discrimen, ut vigilia, respirationis negotium, impossibilitas servandi erectam corporis positionem, quod ad ante-

riora flectitur. Si collecti humores degenerent, et irritantem indolem nanciscantur, alia gravia pervadunt pathemata, partiumque gangraena. Si ante hunc hydropem obvenerit conceptio, plura obstacula incremento foetus opponuntur, et subsequitur partus vel immaturus, vel difficilis. Propter compressionem, quam patiuntur vasa, extremitates inferiores oedematosae fiunt, et etiam aliae partes afficiuntur hydrope. Sequitur quoque retentio, aut incontinentia, urinae, si vesica urinaria, aut urethra admodum comprimantur.

§. 1231. Huic hydrometrae auxilia sunt diuretica, purgantia salina, tonica, et ligatura ad compressionem ventris idonea. Haec vero fere imparia sunt, et tumor usque augetur. Tum a plerisque proponitur paracentesis, quae ob innumera pericula a quibusdam rejicitur, ut sunt uteri vulnus, haemorrhagiae, effusio sanguinis in abdominis cavum, natura scirrhosa et ulcerosa hydropici sacci, ejus adhaesiones vicinis partibus, densitas collecti humoris. Haec revera sub manus raro successit. Tamen utpote

quandoque utilis, cum alia non juvent, tentanda est, qua saltem temporarium afferri potest levamen. Etenim etsi feliciter peracta fuerit operatio, et vulnus acu triquetra inflictum coeat, humore repletur saccus, et eam rursus exequendi impendet necessitas, et ita deletis viribus vita solvitur. Repudianda autem est methodus ovarium hydrope affectum incidendi, cum experientia discrimen et funestas consecutiones demonstraverit. Sed aliquid modo de hydrocele dicendum est.

§. 1232. Hydrocele ex duabus graecis vocibus componitur, quae sunt ὕδωρ aqua, et κήλη hernia. Ergo hoc nomine non exprimitur morbus, ut vulgo intelligitur. Hydrocele enim illa collectio aquosi humoris in scroto absque dolore, sed valde molesta appellatur. Tamen cum haec appellatio antiqua sit, et vulgaris usus, eam retinendam ducimus; etsi vocabulum hydroscheon ab Alibert exhibitum, ad significandum scroti hydropem aptius videatur. Humor vero in scroto collectus, quod a Graecis dicitur ὀσχεον, non eandem habet sedem. Nam aut considit in membrana cellulosa scroti, et tum dici-

tur hydrocele exterior; aut in tunica vaginali testis, et tum constituitur hydrocele interior; aut in communi celluloso textu funiculi spermatici; aut in cystide ejusdem funiculi. Raro humor continetur in sacco inter illam membranam rubellam, quae dicitur dartos, et cremasterem; et in hydatidibus tunicae albugineae cohaerentibus. Non autem tam rara est hydrocele congenita nuncupata, quae consistit in collectione serosi humoris in vaginali tunica cum communicatione inter cavitates hujusce tunicae et peritonaei. Hydrops membranae cellulosae scroti interdum primaria est; sed ut plurimum hydrothoracis, ascitis, anasarcae universalis sistit symptoma. Minus hydrocele tunicae vaginalis symptomatica est; licet subinde ab inflammatione testis, ejusque involucrorum producitur, et est acuta hydrocele; subinde retrocessionis exanthematum, et crisium morborum consecutio est. De praecipuis hydroceles differentiis loquamur, et ab illa anasarcatica scroti exordiamur.

§. 1233. Noscitur haec hydrocele a molli et uniformi tumore membranae cellu-

losae scroti; naturali cutis colore, quae in principio morbi non adhuc valde distenditur, et aliquas conservat rugas; sed aucta humoris vi, magis distrahitur scrotum, et ponderosius fit; si prematur digitis, remanet pressionis vestigium; cutis omnes amittit rugas, quae levis, et tactui frigida evadit; saepe penis turget, et praeputium tumet, seque contorquet; processus vero spermaticus et testes servantur immunes. Cum autem scrotum tam intumescat et porrigatur, dolet propter spermaticorum funiculorum distensionem; et ideo illud sustinere necessum est. Multa praeterea est debilitas, inappetentia, urinarum imminutio, alvi compressio, faciei pallor, extremitatum inferiorum oedema.

§. 1234. Haec primaria hydrocele aut nascitur ab hydropis caussis, aut a localibus, ut assiduae fricationes, et urinarum irritationes. Senes ob lassitudinem scroti; pueri ob congenitam debilitatem huic morbo disponuntur. Symptomatica ab aliis morbis, sed praesertim ab alio hydrope ducit originem. Si primaria hydrocele producatur a localibus caussis facile amovendis, cito solvi-

tur ; si contra a caussis generalibus , et in debilibus et senibus contingat , et magna sit scroti distensio , urget gangraenae discrimen, maxime si matura et sedula curatio non fuerit. Cum autem haec hydrocele est hydropis vel generalis vel partialis . symptoma, sanatio non obtinetur , nisi prius primarius hydrops vincatur. Quoad curationem, si caussae sint locales , hae repelli debent; et ubi nulla lacessit irritatio , balneola adstringentia et tonica applicentur. Si vero caussae sint generales interna remedia conveniunt ; et cum haec non sufficiant , et scroti distensio augeatur , opus est minuere volumen, et collecto humori exitum parare vel punctionibus , quae fiunt lanceolae mucrone , vel incisionibus, quae etiam lanceola aut cultro fiunt. Quoniam vero vulnera in partibus anasarca affectis nullo negotio inflammantur , et in gangraenam abeunt, neque punctiones neque incisiones fiant et repetantur sine necessitate , et inter istas aliquod spatium intercedat. Cum autem altiora vulnera haec mala expeditius inferant , praeferantur punctiones , quas tutius iterare , simplici-

busque plumaceolis mederi possumus ; licet interdum etiam a puncturis inflammatio et gangraena gignitur.

§. 1235. Hydrocele funiculi spermatici ut plurimum accidit , cum existit anasarca, aut scrotum anasarcaticum est ; sed interdum per solam membranam cellulosam funiculi ipsius diffunditur humor. Tum scroti saccus liber est; testis etiam cum sua epididymide a statu naturali non desciscit; sed processus spermaticus longe crassior est ; formam pyramidatam offert ; si comprimatur tumor, gradatim retroire , et sursum dirigi videtur , et sublata compressione ad suam positionem revertitur ; levis dolor circa renes molestat. Si humor diffundatur per solam membranam cellulosam funiculi , non dilatatur scissura tendinea , quae anulus abdominalis vocatur ; sed si etiam per cellulosam, quae intra abdomen vasa spermatica induit , dispergatur , scissura tendinea laxatur , et dum tangitur membrana tumens , quae per eam transmittitur , sensationem inducit illi herniae omenti similem. Cum tumor hujusce hydroceles spectabilis non est , ut minuatur incommodum ,

adhiberi potest subligaculum sacciforme; sed cum insignior est, Pott incisionem funiculi suadet, quae periculosa est, nec omnes cum suis observationibus conveniunt. Cum autem humor in cystide colligatur, quae cum cellulis substantiae cellulosae funiculi non communicat, ut plurimum tumor in parte media ejusdem funiculi deprehenditur. Ovalis est, nec dolens, nec molestus, nisi valde auctus; et cum nimis distenditur, fluctuatio aggesti humoris non facile percipitur. Nullam communicationem cum cavitate abdominis et illa tunicae vaginalis habet. Sub eo testis cum sua epididymide tactui se offert. Si prematur, nullum remanet compressionis vestigium; si percutiatur, ut contenti aëris sonitum facit. Motu corporis fixus haeret; nec tussi, nec sternutamento concutitur; neque ventris exonerationes impedit. Hi characteres hanc ab exposita hydrocele perspicue distinguunt. Non est infrequens, maxime inter pueros, in quibus prompte discutitur, praecipue si calida admoveantur fomenta, et alvus servetur mollis. Cum id non eveniat, humori lanceolae cuspide paretur exitus, et hoc modo

obtinebitur sanatio. In adultis vero, cum tumor notabilis sit, propter totam ejus longitudinem aperiatur, partes sacci anteriores secando, et partem funiculo stricte adnexam linquendo.

§. 1236. Hydrocele tunicae vaginalis consistit in humore inter hanc tunicam et albugineam testis collecto. In iufantibus, pueris, juvenibus, adultis, sed saepius senibus evenit. Tumor in initio est rotundus; sed cum augetur piriformis, cujus crassior extremitas inferior est. Modo durus, modo mollis, modo fluctuans; indolens et pellucidus. Pelluciditas vero est dubium signum, quia humor varii coloris est, et membranae dissimilis crassitudinis sunt. Cum humor limpidus, subtilesque membranae, si in tenebris post scrotum ponatur lumen, pertransit lux, idque est inter certiora signa hydroceles tunicae vaginalis; sed cum humor est densus, turbidus, fuscus, sanguineus, et membranae crassae et consistentes, deest pelluciditas. Testis distingui potest inter initia morbi, cum humor lente colligitur; contra si adauctus sit humor, et vaginalis tunica crassa

et teniax. Quandoque distinguuntur spermatica vasa, quae ab inguine egrediuntur; quandoque non invenitur funiculus spermaticus, cum nempe tunica vaginalis sursum tumefiat, aut cum vera enterocele adsit complicatio. Tumor in hydrocele tunicae vaginalis incipit in parte inferiore scroti, et longum antea delabitur tempus quam ad abdominalem anulum progrediatur. In parte autem posteriore et superiore tumoris deprehenditur durities; siquidem eo in loco tunica vaginalis et albuginea strictim cohaerent; sed aliis in partibus, ubi hae membranae non conjunguntur, congeritur humor, ejusque potest percipi fluctuatio. Hydrocele autem connata, in qua cumulatur humor in tunicae vaginalis cavitate, quae cum illa peritonaei communicatur, cognoscitur ab ipso humore, qui intra abdomen impelli potest. Ab expositis signis hydrocele tunicae vaginalis ab anasarca scroti, hydrocele saccata funiculi spermatici, enterocele, epiplocele, et sarcocele distinguitur. Etenim scroti hydrops est in omni parte aequalis, mollis; si prematur, impressionem digitorum retinet; cutis glabrescit;

saepe penis tumet. In hydrocele saccata funiculi tumor extat supra testem, qui sub illo facile sentitur, et vesicam sistit ubique tumentem. In enterocele, et epiplocele testis in inferiore tumoris parte fere invenitur. Interdum vero non sine negotio hydrocele tunicae vaginalis a sarcocele discernitur; sed illa ad magnam saepe gliscit extensionem, et exhibet tumorem ab humore compositum, cujus fluctuatio percipi potest; dum sarcocele durum offert tumorem, qui plerumque ad tantam amplitudinem non pervenit. Animadvertendum vero est, duritiem non esse indubium signum, quia interdum in hydrocele occurrit, cum scilicet crassescit et durescit vaginalis tunica, quae subinde duritiem cartilagineam nanciscitur, et cujus subinde partes osseae repertae sunt. Praeterea in sarcocele persaepe tumor eandem testis formam habet; est opacus; et pondus, habita voluminis ratione, majus est. Tandem in provecta hydrocele difficile prehenditur, attolliturque funiculus spermaticus, quia inter tumorem et abdominalem anulum non linquitur spatium; dum in sarcocele hoc adest spa-

tium, ibique discriminatur funiculus. Sed oportet cognoscere cum hydrocele tunicae vaginalis complicatur cum duritie et crassitie testis, et hydrosarcocele constituitur. Hoc in casu testis in morbosam conditionem conjicitur; dum in simplici hydrocele suas explet functiones, et funiculus spermaticus non immutatur, nisi vasa, quae aliquantisper dilatantur. Tamen etiam in simplici hydrocele aliquam testis mutationem subit; siquidem ejus volumen augetur, ejusque relaxatur structura, atque spermatica vasa crebro varicosa fiunt; sed observandum est, quod testis nunquam durescit. Quum vero hydrocele tunicae vaginalis cum hydrocele saccata funiculi spermatici conjungitur, haec compositio a tumoribus, qui duobus in locis incipiunt, et a quadam inter utrosque constrictionis specie, distinguitur.

§. 1237. Caussa hydroceles tunicae vaginalis est quidquid auget secretionem humoris, qui superficiem tunicae albugineae et internam partem vaginalis irrorat, aut hujusce humoris absorptionem impedit. Saepe caussae, quae huic morbo occasionem dant, perspi-

cuae non sunt; sed interdum evidenter patent, ut assidua equitatio, assiduae scroti fricationes, ictus, etc. Haec hydrocele lento gradu paratur; et ubi nullus vexat dolor, saepenumero non animadvertitur, pluresque transcurrunt menses, antequam ad spectabile volumen perveniat. Sed aliquando ejus cursus celerior est, et citius adaugetur volumen. Interdum autem a morbosis caussis copiosa lymphae secretio manat, ut ab inflammatione testis, ejusque tunicarum; sed tum hydrocele, quae acuta dicitur, est ipsius inflammationis symptoma.

§. 1238. Hujusmodi hydrocele est molestus morbus, ut plurimum sine periculo, interdum hujus non expers. Est molestus, quia tumor interiore coxae parte fricatur, unde decorticationes producuntur; dum augetur, libertatem impedit incedendi; funiculi spermatici distentionem infert, ad quam removendam adhiberi debet suspendiculum. Est interdum periculosus, quia si humor diu stagnet, testis vitiari, indurescere, et corrumpi potest, et hinc sarcocele, scirrhus, cancer. Quoniam autem in insigni hydroce-

le retrorsum contrahitur penis, et fere est tumore absconditus, ejus functiones abrumpuntur, et nisi omnino procreatio impediatur, difficilis et incommoda redditur. Difficilius curatur in senibus; expeditius in juvenibus, in quibus aliquando interna remedia, ut purgantia, diuretica, tonica, penitus curationem expleverunt. Quandoque satis fuit, licet raro, palliativa curatio. Difficultas autem curandi major est, si cum alio hydrope, aliisve morbis praesertim testis, adsit compositio.

§. 1239. Cura hydroceles tunicae vaginalis alia palliativa, alia radicativa est. Prima aperitur saccus, et collecto humori datur exitus, qui rursus colligi potest, unde palliativa dicitur. Altera obliteratur sacci cavitas, ne iterum aggeratur humor, et ita absoluta consequatur sanatio, unde radicativae nomen meretur. Palliativa quovis tempore peragi potest; radicativa pluribus circumstantiis impeditur. Homines ex. gr. aetate confecti, pravique corporis habitus, huic submitti nequeunt. Ad curam palliativam absolvendam, opus est eligere instrumentum,

et partem tumoris ad operationem peragendam magis aptam, ut testis a laesione servetur. Istrumentum est lanceola, aut acus triquetra. Lanceolae cuspis facilius penetrat; sed subsequi possunt mala, quae non obviam fiunt, si acus triquetra adhibeatur. Cum lanceola aliqua potest humoris portio remanere, et ideo ut exeat, aut pars premenda est, aut aliud instrumentum immittendum; dum cum acus triquetrae cannula libere egreditur humor. Pars autem tumoris ad instituendam operationem opportunior est, ubi tunica vaginalis et albuginea magis distant inter se, et ubi humor majore quantitate colligitur. Operatio autem fieri debet, cum talis est humoris copia, ut ad dimovendum testem ab instrumento sufficiat. Post operationem contrahitur scrotum, et sponte glutinatur vulnus; tamen illud spleniis est involvendum, et cum valde fuerit distentum, suspendiculo sustinendum. Reiteratur operatio toties quoties recolligitur humor, quod modo citius, modo serius evenit. Sed cum post reiteratas operationes humor crassus, foetidus, obscurus evadat, sollicite radica-

lis curatio instituatur, dummodo haec fieri possit, ut funestae consecutiones removeantur. Diximus, vulnus absque medicamentis glutinari; sed interdum ejus orificium inflammatur, et in suppurationem abit. Haec vero suppuratio persaepe superficialis est, et simplici medela sanatur; interdum profundior fit, et dum tunicam vaginalem aggreditur, potest per accidens curam radicalem explere. Objectum autem curae radicalis est, inflammationis gradum in vaginali et albuginea tunica movere, ut harum membranarum sequatur concretio, et hinc removeatur alia humoris collectio. Ad hunc finem tam veteres, quam recentiores plures experti sunt methodos, ut incisionem, excisionem, causticum, introductionem turundae, setaceum, injectiones stimulantis fluidi in tunicae vaginalis cavitatem. Pleraque harum pars obsolevit; sed methodus injectionum universaliter adhibetur. Antiquior incisio est, et quidem crudelis, periculosa, et interdum inefficax. Haec medio tumoris incipiebatur, et ad superiorem partem aequidistanter a raphe extendebatur. Prius integumenta, dein saccus secabatur,

et hujus laterum pars recidebatur. Hinc inducto specillo, usque ad fundum aperiebatur tumor, et tandem intra cavitatem lintea carpta immittebantur. Etiam excisionis methodus antiqua est, et admodum molesta, dolorem et discrimen afferens. Kinder Wood priscam excisionis rationem reliquerit, et aliam proposuit, qua pungitur hydrocele lanceola, quae aperiendis abscessibus inservit; deinde trahitur volsella parva sacci portio, et rescinditur. Nos latet, an ita vere deleri possit cavitas. Causticum consistit in admovenda ipsius particula in anteriore et inferiore scroti loco, ut in tunicam vaginalem penetret. Huic methodo objicitur quod actio caustici dirigi non potest, ut tuto aperiatur vaginalis tunica, et ideo necesse est, aut iterum apponere causticum, aut lanceolam vel acum triquetram adhibere; et ulcus molestum et dolens producitur. Sed propitius caustici usui videtur Heisterus, qui Tom. 2. inst. chirurg. inquit = Quia vero multi ferrum nimis pertimescunt, scrotum hoc modo conflictatum, rodente etiam medicamento quam aptissime aperiri, et liquor peregrinus educi

potest. = Hinc sua fausta pericula in medium affert. Quamvis vero causticum utile esse possit, injectiones tutiores sunt. Turundae methodus consistit in tunicam vaginalem aperiendo, et in reclusum vulnus servando,, turunda indita, quae tela, linteis carptis, aut spongia componitur, ut in cavitate ubi extiterat humor, suppuratio promoveatur. Plures autem aliquantum hanc variarunt rationem, scilicet aut turundam substantiis stimulantibus perfuderunt; aut cannulam in tunica vaginali retinuerunt, ut absque suppuratione partium produceretur cohaerentia. Guido autem de Cauliaco an. 1498. de setaceo locutus est. Deinde plures ad hoc immittendum descripserunt modum. Pott vero, qui cuivis methodo, illa injectionum excepta, praefert setaceum, hunc modum melius designavit. Injectionum methodus raro advehit mala. Primae injectiones spiritu vini; mox blandiores aut vino simplici, aut cum aqua factae sunt. Modo acu triquetra in parte anteriore et inferiore pertunditur hydrocele; detracto humore, cavitas usque ad primum volumen liquidi injectione inflatur,

quod per quinque momenta retinetur, et postea ejus exitus per cannulam permittitur. Ut plurimum liquore indito, aliquis dolor ad inguen, et versus renes expergiscitur, quod necessarium inflammationis gradum excitari patefacit. Post operationem expediunt fotus, cataplasmata, hirudines, purgantia salina, et ad scrotum suffulciendum, suspendiculum. Etiam connata hydrocele injectionibus sanari potest; sed prius comprimitur superior pars funiculi, ne immissus liquor in peritonaeum agens, periculosam inflammationem pariat. Desault, propulsis in abdomen exuberantibus visceribus, compresso et clauso inter abdomen et internam partem tunicae vaginalis hiatu, et consueta ratione emisso retento humore, vini injectiones peragebat. Nunc vero ad ultimam hydropis speciem, seu hydarthrum properamus.

§. 1240. Hydarthrus est articulationum hydrops. Primarius oritur a caussis articulares superficies irritantibus, unde copiosior manat synovia. Symptomaticus et secundarius ab aliis morbis natales ducit. Signa quae articulationum hydropem ostendunt, sunt tu-

mor mollis, circumscriptus, elasticus, fluctuans; parum aut nihil dolens; cutis colorem non mutans; raro motus impediens. Crescit tumor quantum ipsa humoris quantitas crescit; dilatatur ubi capsulare ligamentum magis amplum et superficiale minus resistit. Ergo forma tumoris in motibus, variisque posituris variat. Generatim in quiete aliquis sentitur dolor, qui in motu ut ut levi intolerabilis interdum est. In articulationibus affectis tumor ob rationem expositam in quibusdam locis visibilis est, in aliis non apparet. Si ex. gr. carpus hydarthro afficitur, tumor in partibus posterioribus, et etiam magis in anterioribus, conspicuus est, dum in lateralibus vix observabilis: si pes, tumor magis comparet ante malleolos: si humerus, solum anterius in interstitio inter musculum deltoidem et magnum pectoralem spectatur: si genu, quod frequentius accidit, anterius et ad latera se se offert. In hoc casu dum crescit tumor, dilatatur superius inter femur et musculos extensores cruris. Propter naturam autem affectae partis, et cruris motus, tumor est irregularis, plus minusve

prominens et durus. Etenim a rotula, ejusque ligamento, et tendinibus musculorum extensorum cruris est tamquam in duas partes divisus; dum pars interior est magis prominens, cum largior sit capsula inter rotulam et condyli interni marginem. Si crus flectatur, tumor ad rotulae latera fit magis eminens et durus, quae a suis ligamentis deprimitur. Si vero crus distendatur, tumor evadit mollis, et fluctuatio magis sensibilis. In hoc cruris positu, rotula anterius impulsa, est valde mobilis; et cum comprimatur, retro aliquantum impellitur, et cum auferatur compressio, prompte resilit. Ex hisce signis ab oedemate a tumoribus mucosi sacci sub tendinibus musculorum extensorum cruris, a gangliis ad anteriorem rotulae partem, aliisque morbis genu conflictantibus, hydarthrus distinguitur.

§. 1241. Caussae excitantes hujusce affectus sunt lapsus, ictus, torsiones, et quod nimis articulationes distendit; actio in has partes immodici frigoris; corpora cartilaginea, quae intra articulares capsulas effinguntur, et assidua irritatione nimiam sy-

noviae expressionem promovent. Plures autem morbi vel acuti vel chronici hydarthrum symptomaticum gignunt, ut inflammationes vel acutae vel lentae synovialis membranae; rheumatismus; podagra; venerea lues; scrophulae. Hydarthrus vero secundarius excipit ut plurimum febres nervosas, quae cum adnotabilem relinquant debilitatem, lymphatica vasa non hauriunt synoviam, quae a superficie articulationum exsudat.

§. 1242. Si morbus sit recens, exigua collecti humoris quantitas, caussae superabiles, illius absorptio et perfecta sanatio speranda est. Si contra inveteraverit morbus tumor sit ingens, et humor densus et viscosus, membrana synovialis nimis crassescat, in articulari capsula subsint peregrina corpora, quae nisi operatione chirurgica extrahi non possunt, difficillima erit humoris absorptio, et maxima difficultate ad statum naturalem redibit pars, et ingens etiam erit periculum. Si hydarthrus symptomaticus sit, aut secundarius, ejus exitus a primarii morbi consideratione praenoscitur. Si ex. gr. hic sit membranae synovialis inflammatio, insti-

tuta antiphlogistica methodo non raro absorbetur congestus humor, ut in quovis hydrope ejusdem originis contingit: si febris nervosa, cum aut per naturae vires, aut per artis ministerium amissum recuperetur robur, expectari potest sanatio.

§. 1243. Curatio ita dirigenda est, ut absorptio cumulati humoris eveniat. Cum ergo hydarthrus localis sit morbus, localia eligantur remedia. In hoc plerique conveniunt, maxime Boyer, qui reiteratam vesicantium applicationem commendat. Haec topica remedia prospere cedunt, cum morbus sit in initio, caussaeque vincibiles. Sed pro variis casibus varia sint. Interdum instat phlogosis, et tum hirudines et emollientia cataplasmata auxilio sunt. Si vero phlogosis timenda non sit, resolventes fotus, suffitus, frictiones cum linimento volatili, fomenta humida ex aqua vegeto minerali, stillicidia, vesicantia, et cum affligant dolores, unctiones narcoticae, et anodynae subveniunt. Sed si morbus omnibus refragetur medicamentis, et progrediatur, necessaria est chirurgica operatio, ut evacuetur congestus hu-

mor. Si hic non sit densus, et fluctuatio percipiatur, adhiberi potest acus triquetra; sed si humor densus est et viscosus, et hydarthrus occupet genu, necesse est partes laterales rotulae incidere, et usque ad interiorem articulationis partem descendere. Item si subsint peregrina corpora, haec sunt extrahenda, et longitudinali incisione capsula humore exhaurienda est; et hinc secundum chirurgiae praecepta labia vulneris coagmentanda, et glutinanda sunt. Haec vero operatio non semper sub manus successit; siquidem interdum lethalia symptomata, aut amputationis necessitatem intulit. Tamen cum morbus est pertinax, et valde procedat, evitari non potest operatio, quae ut plurimum felicem habet exitum. Ubi autem hydarthrus symptomaticus est, aut secundarius, variam exposcit curationem; nec ad operationem veniendum est, nisi prius tam interna quam externa remedia, quae pro diversis casibus opportuna creduntur, sint explorata. Ergo si hydarthrus sit inflammationis membranae synovialis effectus, in primis antiphlogistica methodus, deinde ad pro-

movendam absorptionem frictiones simplices, mercuriales uncturae, et vesicantia conveniunt. Si sit febrium nervosarum successio, curatio praesertim ponitur in diaetetico regimine, in interno et externo tonicorum usu; et inter localia illitus ex opio compositi omitti non debent.

Digitized by Google

ORDO SECUNDUS

Retentiones substantiarum excrementitiarum alicui usui inservientium.

GENUS PRIMUM

Galactepischesis.

§. 1244. Hic ordo amplior foret, si pleraeque retentiones substantiarum excrementitiarum alicui usui famulantium frequentius contingerent, liquidius apparerent, saepiusque primarios morbos constituerent. Etenim retentio spermatis rarissime sanitatem offendit, si excipiantur dilatationes funiculi spermatici, testiumque tumores. Rarissime etiam evenit quod a glandulis salivalibus non separetur saliva; et cum in febribus aridum evadit os, non tam a salivae defectu, quam ab avida hujus absorptione dependent, sicut alibi diximus. Sic lacrymarum retentio fere nunquam primaria est, sed ut plurimum alicujus morbi glandulae lacrymalis effectus.

Etiam pancreaticus humor, si retineatur, ab aliquo pancreatis vitio nascitur, quod nunquam expedite cognoscitur. Item retentio muci, quae in diversis corporis partibus accidit, est plerumque aliorum morborum symptoma. Ergo in hoc ordine duo tantum genera perstringuntur, scilicet retentio lactis, quae recte mihi videtur appellari posse galactepischesis; illaque bilis, quam etiam cholepischeseos nomine vocabo.

§. 1245. Usque a gestatione ad separationem lactis componuntur ubera, ut ab eorum volumine, duritie et dolore apparet. In quibusdam vero mulieribus nec ante nec post partum haec observatur dispositio. Quaedam enim mammosae sunt, sed quia mammae ex abundanti textu adiposo constant, perparce secernunt lac. Ut haec secretio affluat, secernentia organa omnibus numeris absoluta, et opportuna vitalitate praedita esse debent; et ut lac libere per ductus exeat, nulla adesse debet caussa, unde in uberibus consistat. Cum autem in his stagnet, utpote facile degenerans, et ad coagulationem vergens, plura morbosa foenomena consequun-

tur. Tamen interdum non turbatur sanitas, cum nempe prompte a lymphaticis vasis absorbetur, et in massam sanguinis transvehitur. Sed ut plurimum a stativo lacte inflammatio mammarum excitatur, scilicet tumor, dolor, calor, rubor, et febris. Si non resolvatur, consuetae sequuntur inflammationis successiones, praesertim suppurationes, et duritiae. In exiguis lactis congestionibus mitiora sunt symptomata, ut aliquis tumor, dolor, inter scapulas sensus frigoris, febris aliquot horarum. Leves congestiones facile dissolvuntur, si fluxus lactis, aut sudoris et urinae secretio adaugetur. Contra in spectabilioribus lactis collectionibus, ubera sunt admodum tumida, rubra, dolentia, dura; caput dolet; glandulae etiam subaxillares ita dolent et tument, ut brachiorum motus impediatur, et febris accedat, praecipue cum frigore, quod excipit intensus calor cum multa siti et nausea. Si haec symptomata crescant, praegrandes et praeter modum distentae fiunt mammae, et rubor evadit vividus, splendens, et ad livorem inclinans. Quandoque horum organorum inflammatio non tum

a retentione, quam ab exuberantia lactis suscitatur, quae a Sauvages mastodynia polygala dicitur. Hac caussa ubera valde tument, distenduntur, et adeo dolent, ut pueruli suctus non toleretur. Cum una mamma inflammatione corripiatur, saepe etiam altera afficitur. Si haec inflammatio non resolvatur, saepe ut diximus, in suppurationem desinit, quae aut superficialis est aut profunda. Est superficialis, si textus cellulosus; est profunda, si pars glandulosa; est superficialis et profunda, si textus cellulosus et pars glandulosa inflammatione fuerit affecta, quod quidem saepius evenit. Cum formetur suppuratio in textu celluloso, ejus processus satis expedite absolvitur; plerumque tumor considerabilis et aequalis est, nisi in pluribus locis suppuratio fiat; cutis mollescit; dolor est acerbior prius quam integumenta rumpantur. Cum autem suppuratio in substantia glandulosa locum habeat, ejus processus lentior est; observantur tubera, quae inter se distant, in quibus diverso tempore suppuratio perficitur; et ideo diuturna est, et etiam ad plures menses extenditur; dolor est atrox,

cum tubera ad ruptionem parantur. Cum denique suppuratio in textu celluloso, et glandulosa substantia eveniat, non aeque tumidae et durae sunt mammae; promptior est illius processus in textu celluloso, et saepe sponte disrumpitur abscessus, ex quo bonum erit pus; lentior vero est suppuratio in glandulosa substantia, ejusque tubera variis vicibus ad maturationem perveniunt, et ad ruptionem disponuntur. Cum mammarum inflammatio nec resolvitur, nec in suppurationem abit, glandulae mammales interdum adipiscuntur duritiem, quae curatione et lactis suctu paullatim fere discutitur. Ex adverso si curatio nec matura sit nec solers, ampliatur durities, solutu fit difficilior, et scirrho ansam praebet, si ad eum subsit dispositio.

§. 1246. Si extemplo retineatur secretio lactis, aut lac in mammis collectum absorbeatur, oriri possunt mala, quae pridem per lacteas metastases exponebantur. Hae vero metastases adeo frequentes non sunt; sed cum quibusdam recentioribus negari omnino nequeunt, utpote experientia expertissi-

morum virorum confirmatae. Si intempestive lactis secretio consistat, actio vitalis et humorum affluxus imminuitur in mammis, dum augetur in aliis organis. Ergo quin contingant lacteae metastases, suscitari possunt inflammationes, aliaque mala. Et cum in mammis collectum lac absorbetur, saepe per naturalia emunctoria, ut per renes, alvum, et cutis superficiem eliminari solet. Auctores loquuntur de sudoribus lacteis, de quibus cum Van-Swieten dubitandum est, qui Tom. 4. pag 609. inquit = Sed dubito an sudores vere lactei in puerperis fuerint observati = Saepe etiam resorptum lac suam amittit indolem, et per vasorum et viscerum actionem assimilatur humoribus. Haec est ratio quare lactis collectiones non raro dissolvuntur, quin ulla compareat sensibilis detractio. Sed interdum lac immiscetur lymphae, chylo, sanguini, et perfecte assimilari nequit, et ut praeternaturalis stimulus exagitat vasorum systema, perturbat functiones nisi per emunctoria eliminetur, laedit, lacessit, inflammat viscera. Interdum etiam lactea materies in has vel illas partes depo-

nitur, et ideo vel in cranio, vel alibi pluries reperta fuit.

§. 1247. Plures sunt caussae, quae separationem lactis adimunt, aut faciunt, ut lac congeratur in uberibus et difficulter per papillas exeat. Inter illa quae exsiccant lactis scaturiginem, adnumerantur pravitas et inopia nutritionis; animi pathemata, quae enervant corpus, ut tristitia, et etiam in organis secernentibus ductibusque lacteis spasmodicam constrictionem pariunt, ut terror; corporis habitus ad separationem lactis non compositus; mammarum constitutio, earumque vitia. Inquit Hippocr. de nat. pueri Cap. x. = Ut plurimum vero quae pauca menstrua demittunt, eas sine lacte esse contingit. Sicciores enim sunt, et densiore corporis habitu. = In lib. autem de aëre, locis, et aquis Cap. II. duritiem et cruditatem aquarum ita arguit = Quum vero pepererint, pueros nutrire non possunt. Lac enim aquarum duritie, et cruditate extinguitur = Torosa corporis constitutio minus apta est ad separationem lactis ut illa viraginum, quarum ubera sunt parum evoluta,

eorumque vasa praeter modum constricta. Hinc divinus praeceptor lib. I. cap. II. de mulier. morbis ait = Sunt autem quae natura lac non habent, et quibus lac ante tempus deficit. Eae vero natura solidae sunt et densae carnis; ideoque cum via densa sit, non a ventre ad mammas satis humoris defertur. = Ubera, ut diximus, parum secernunt lac, si textu celluloso abundant; si componuntur glandulis non bene explicatis, nec satis vitalitate pollent. Inter autem alias caussas, quae in mammis lactis congestionem afferunt, et ejus exitum per papillas impediunt, sunt praesertim quaedam mammarum vitia, quae modo ab harum constitutione, modo a pluribus caussis producuntur. Haec vero vitia in papillis, areolis, ductibus lacteis, celluloso textu reperiuntur. Papillae quoad crassitudinem et longitudinem valde differunt. Modo tam deprimuntur, ut pueri lac sugere nequeant, quod inde in mammis consistit; modo loricarum usu adeo subsidunt, ut fossula absconditae vix cerni possint. Quandoque vero sunt fungosae, fere callosae, rhagadibus fissae, lacessitae, in-

flammatae, discissae. Praeterea decorticantur, exulcerantur, destruuntur, refiguntur, cum puer conflictatur aphthis, ejusque salivae acrior est; cum deutitionis tempore eas valide inter gingivas premit; cum emissis dentibus eas terit et mordet. Areolae autem nonnunquam ulceribus afficiuntur, quae nunc maliguae indolis, nunc venereae originis sunt. Aliquando earum sebaceae glandulae crassescunt et durescunt, unde lactei ductus, qui feruntur ad papillas comprimuutur. Hi etiam ductus modo obstruuntur, et ut contorti funes videntur; modo rumpuntur, quod aut per externam injuriam, aut per violentum suctum evenit; modo coercentur exuberanti pinguediue, aut tumoribus qui in uberibus efformantur. Textus autem cellulosus nullo negotio infercitur, et obdurescit, cum in eo congerantur humores; et etiam eadem caussa lactei ductus comprimuntur. Praeter haec vitia, aliae sunt caussae, et circumstantiae, quibus lac in mammis stagnat, ut actio frigoris, cui exponuntur; quidquid irritat, et majorem sanguinis affluxum in eas advocat; puc-

rorum debilitas, eorumque morbi, praesertim oris aphthae. Tum enim pueri nec sugere, nec deglutire lac queunt, quod inde cohibetur in mammis.

§. 1248. Si lac deest propter nutritionis defectum, illius secretio nutrientibus alimentis facile restituitur. Si vero animi pathemata momento temporis hanc separationem coercent, inflammationes viscerum, aliique graves morbi consequi possunt. Si corporis et mammarum constitutio secretioni lactis adversa sit, haec nullo modo obtineri potest; sed ab hac caussa gravia mala reformidanda non sunt. Sic si congestio lactis in mammis ab hujus exuberantia nascatur, robusti pueri suctu inflammatio mammarum praecavetur. Si papillae parum assurgant, sed protrahi possunt, possibilis est lactatus, et ita repellitur lacteae congestionis discrimen. Quamobrem graviditatis tempore, cum parum emineant papillae, admoveatur cucurbitula, ex qua antlia pneumatica educatur aër; et post partum si puer papilllas inter gingivas et labia premat, hae elongantur, ductusque lactei ex-

tenduntur, et ita facilis lacti paratur exitus. Si contra tam deprimantur papillae et breves sint, ut exurgere nequeant, ubera puero admovere impossibile est, et ideo frequenter sequitur periculosa lactis congestio. Compressio ductuum lacteorum ab excedenti pinguedine, steatomate, scirrho, inemendabilis est. Quum autem inflammationem mammarum suppuratio excipit, licet curatio recta fuerit, supersunt interdum duritiae, quae ut plurimum resolvuntur; sed si sedeant in parte glandulosa, consequi potest scirrhus, maxime si ad eum adsit dispositio. Nunquam igitur matres absque ratione proprio lacte defraudent prolem, si ab illius praepedita secretione, et congestione inflammationes, abscessus, fistulae, indurationes, et scirrhi mammarum; morbi cutis; viscerum phlogoses; etc. possunt excitari.

§. 1249. Cum secretio lactis ob jamdiu tolleratum nutritionis defectum non suppetat, curatio a levi victu, et digestu facili incipienda est, ut a jusculis, et ovis recentibus; deinde ad pulli et vituli carnes

transeundum, et eodem tempore mammarum vitalitas fomentis, frictionibus, pueri suctu incitetur; sed si puer inania ubera sugere recuset, sana suppleat mulier. Potui detur aqua cum tertia parte recentis lactis; vel decoctio hordei simplex, aut eadem quantitate lactis immixta; vel aqua in qua praeustus panis infundatur. Si ob animi pathemata deficiat lac, inquirendum est, quae ipsa sint. Si ex. gr. gravis moeror, curandum est, ut redeat hilaritas, quod obtinetur, si mens a tristibus abducatur, et consolatione et oblectamentis leniatur: si terror, praeter animi quietem, vitales mammarum vires stimulandae sunt. Si autem languet secretio lactis quia caeterae secretiones immodicae sunt, hae refraenentur. Interdum lac non deest, sed cum per aliquam caussam mater lactitare nequeat, necessum est illud comprimere, quod fit imminuendo victum, aliasque separationes movendo. Concitatur perspiratio calore lecti, et potionibus aquosis, egelidisque; sollicitatur alvus, et urinarum secretio, clysteribus, cremore tartari, aliqua decoctione diuretica; pro-

movetur lochiorum fluxus fomentationibus ad partes verendas. Dum haec perficitur curatio, sustineantur mammae, et sedulo frigus evitetur. Eodem modo imminuitur secretio lactis, si a caussis insuperabilibus hujus congestio producatur in mammis. Haec vero congestio sollicite fomentationibus, et unguentis emollientibus, et unctionibus ex oleo amygdalarum dulcium est resolvenda. Si vero a caussis superabilibus nascatur, hae repellantur, ut ex. gr. cum puer debilis et infirmus detrectat ubera, alterius vegetioris pueri, vel sanae mulieris suctu, vel cucurbitula vitrea curvo et longo ductu instructa, depleantur. Si mammae durescant et doleant, adhibeantur fomenta emollientia; sed si inflammentur, resolutio emollientibus, humectantibus, alvum moventibus, et in mulieribus robustis et plethoricis venae sectione tentanda est. Si non obtinetur, efficere debemus, ut blanda suppuratio succedat. Eligantur itaque unguenta emollientia, cataplasmata ex mica panis et lacte, et eodem tempore unctiones ex oleo amygdalarum dulcium; et haec non linquantur, donec matu-

rus abscessus aperiatur, depuretur, consolidetur, et nulla remaneat durities. Etenim emollientium usu, si qua adsit solvitur duritia; et saepe sponte abscessus aperitur, quod melius est, quam illum rescindere ferro, quia ut observat Van-Swieten minus deformis superest cicatrix. Verum cum integumenta resistunt nec rumpuntur, abscessus, dummodo perfecte maturus, aperiatur ferro. Post autem hujus apertionem, vel spontaneam vel artificialem, simplicissima sit curandi ratio, scilicet mollissima lintea carpta, et cataplasmata ex mica panis et lacte applicentur. Si post sanatum abscessum aliqua supersit durities, quod usuvenit, cum ille substantiam glandulosam occupaverit, haec est citissime discutienda. Quae in primis conveniunt, sunt vapores aquae tepidae; molles frictiones; fotus resolventes ex aqua cum sapone; aut ex aqua tepida, in qua sal alchalinum fixum vegetabile sit dissolutum; cataplasmata ex resolventibus farinis; et cum haec non satis polleant, cataplasma cicutae, ejusque internus usus; unguentum mercuriale. Sed cum ef-

formatus sit scirrhus, convenit extirpatio. Observavimus, papillas obnoxias esse fissuris; et tum saepe tam dolent, ut ipsius indusii contactum perferre nequeant. Ita affectae papillae in operculo cerae, dedita opera instructo, ponendae sunt, et emollientibus inungendae, ut oleo cerae, quod repetitis distillationibus limpidum, et maxime emolliens redditum. Cum mamma integra sit, haec admoveatur puero; alia vero affecta molliter prudenterque mulieris suctu exhauriatur, quae areolae labia apponat, locaque dolentia effugiat.

GENUS SECUNDUM

Icterus.

§. 1250. A retentione bilis, quae appellanda mihi videtur cholepischesis, plures, ut innuimus, nascuntur morbi; sed ad hunc ordinem icterus pertinet. Cum itaque cutis et oculorum albuginea per resorptam et diffusam bilem luteo colore tingitur,

icterus, graece ἴκτερος, nuncupatur. Qui vero hoc morbo laborant, dicuntur icterici, ἰκτεριῶδες, vel ἰκτερώδες. Plures credunt, hanc vocem ab animale quadrupede nasci, quod graece dicitur ἰκτὶς, latine mustela sylvestris, cujus oculi flavi sunt. Icterus a Latinis vocatur morbus regius. Ratio hujusce nominis a Celso colligitur, qui lib. III. Cap. XXIV. de icteri curatione inquit. = Lecto etiam, et conclavi cultiore, lusu, joco, ludis, lascivia, per quae mens exhilaratur: ob quae regius morbus dictus videtur = Etiam latine dicitur arquatus vel arcuatus morbus ob dissimilem colorem, ab iride similitudine sumpta. Dictus etiam fuit aurigo, lutei coloris caussa. Color quidem luteus est; sed interdum nigricans; et inter utrumque plures gradationes adnotantur. Etenim modo hepatica bilis, modo cystica absorbetur, et per corpus diffunditur, utraque plus vel minus a naturali colore declinans. Hinc cutis nunc colore subflavo, nunc croceo, nunc luteo-viridi, nunc subfusco imbuitur.

§. 1251. Multifariam nosologi icterum dividunt; sed nos omnibus praetermissis divisionibus, eum ut primarium, symptomaticum, criticum, et traumaticum considerabimus. Quidam inquiunt, icterum esse semper symptomaticum, utpote ab affectionibus hepatis, vel ab aliis morbis productum. Sed negari non potest, esse etiam primarium. Nos talem judicamus, cum ortum habet a caussis, quae actionem exercent in hepar, ut quaedam animi pathemata; aut cum propriis characteribus in conspectum venit, licet ab aliquo hepatis affectu genitus. Dicimus autem esse vere symptomaticum, cum a morbis ad hepar non spectantibus nascatur, ut sunt febres diversi generis, spasmodicae affectiones, inflammationes, etc. Est criticus, si quis morbus per eum resolvatur. Est traumaticus, si ab externis capitis laesionibus, aliarumque corporis partium proficiscatur. Praeterea primarius icterus vel acutus est, vel chronicus; sporadicus, epidemicus; universalis, partialis; haereditarius, si ab icterica matre filii etiam icterici producuntur; flavus, vel niger. Co-

loris vero varietas morbi gradus potius ostendit; siquidem veterum atrabilis, ut icteri caussa, non amplius admittitur.

§. 1252. Quoniam primarius icterus a multiplicibus caussis oritur, plura sunt comitantia symptomata, quae caussas ipsas declarant. Sed anteaquam haec exponamus, generalia icteri sive acuti, sive chronici signa recensebimus. Cum chronicus lente progrediatur, minus in ejus principio perverturtur functiones. Fere languore, inertia, inappetentia incipit, et priusquam flavescat cutis, urinae croceae aut rubrae redduntur, et oculorum albuginea in flavum vergit. Sed cum oculi et cutis colore lureo inficiantur, inappetentia augetur, os amarescit, exsiccaturque; urinae aut rubrae sunt, aut ita luteae, ut eodem colore vasis parietes tingant, et quidquid ipsis immergitur; interdum vero sunt lateritiae, subsidentes, aut densae et turbidae; interdum in transitu lacessunt uretrham; faeces sunt aridae, cineraceae, albidae; molestant vomendi voluntas, stomachi aciditas, cardialgia, flatus, alvus adstricta, pondus circa ventriculum,

remissus dolor, pressione sensibilior, ad dextrum hypocondrium; lingua inter initia albicans aut luteola, fit fusca et sicca; urget sitis; arescit cutis; subinde tam atrox exspergiscitur pruritus, ut abstrahat quietem, et aegros cogat propriis unguibus conscindi; obscuratur visus, et circumstantia corpora lutea videntur, quia forsan oculorum membranae et humores ita colorantur; multa est debilitas, et animi moeror; et quoniam bilis assidue transfunditur in sanguinem, non solum externa corporis superficies, capillata cutis, et ungues, sed etiam musculi, ossa, cartilagines, articulationes, adeps, viscera, et humores, qui separantur a sanguine, flavescunt; pulsus plerumque debilis est et parvus, interdum febrilis; tandem suscitatur febris, quae fit lenta, unde magis perduntur vires, absumitur corpus, et ad mortem disponitur. Non semper vero pathemata in diuturno icteri cursu aequalia sunt. Quandoque enim ineunte morbo brevis evolvitur febris, quae forsan a bilis stimulo excitatur; urinae illis sanorum similes, dum ut plurimum sunt rubrae, croceae,

foetidae, corruptu faciles ; ita faeces non mutantur , quia non omnino clauditur bilis transitus ad intestina, dum persaepe sunt cineraceae , albicantes , durae , argillosae , et ob earum ariditatem difficiliter egeruntur ; non perturbatur visus , et circumstantia corpora recte distinguuntur , dum saepius numero ille perstringitur , et haec luteo colore tincta videntur ; deest plane dolor ad dextrum hypochondrium ; pruritus partialis , qui plerumque universalis est ; denique aliquando affligunt hypochondriorum tensio , oppressio ventriculi , spasmi , spiritus gravis , ructus, borborygmi , tormina. Sed dum procedit morbus , flavus color vergit ad viridem, atro-viridem , atrum , et ita icterus niger fit. Tum deterret aegri aspectus nigricans , et oculi colore atro-luteo suffecti. Obscurae sunt urinae , summa est debilitas , tristis animus , excrementa subnigra et arida , nausea, inappetentia, concoquendi alimenta impossibilitas, amarus sapor etiam dulcium , tetrae aspirationes è corpore manant , pruritus non ferendus , ventriculi morsus , vigilia. Etiam acutus icterus generales characteres habet ,

qui plus minusve morbi indolem inflammatoriam ostendunt. Saepe ab initio stipatur febre; dolore acuto ad hepatis regionem, qui pressione et profundis inspirationibus augetur; pulsu duro; praeparcis, incensisque urinis; alvo adstricta; linguae ariditate et siti; sicca tussi. Ad hunc icterum, quem calidum vocat Sauvages, ille pertinere potest, qui a Nosologis appellatur plethoricus, ab aliqua retenta exinanitione sanguinis natus. Etenim cum nimium vasa hepatis adimplentur sanguine, non solum ob hanc localem plethoram bilis cursus abrumpitur, sed etiam suscitatur febris, et subinde hujusce visceris inflammatio. Sed modo ad particulares characteres veniamus, qui aperiunt caussas, ex quibus uterque icterus oritur.

§. 1253. Si in hepate abdantur calculi, incipit icterus, qui calculosus dicitur. Non semper vero dum existunt calculi in hepate et in cystide fellea, producitur icterus, nec semper excitantur spasmi, et alia symptomata, quae eorum existentiam patefaciunt. Sed dum haec clara signa desunt, sensus ponderis, et obtusi doloris ad regionem hepa-

tis suspicionem injicit. Quandoque tamen ne hic quidem doloris sensus adest. In cystide fellea reperiit Sauvages centenos calculos piriformes, qui nec icterum, nec dolorem ullum produxerant. Id evenit cum calculi fixi manent, nec bilis cursum impediunt. Si vero moveantur, asperi et acuminati sint, et exitum bilis inhibeant, icterus, acuti dolores, spasmi, nausea, vomitus, cardialgia, distensio ventris, pulsus parvi, sudores, extremitates frigidae, animi deliquia contingunt. Haec vero vanescunt, si calculi ductuum angustias superent, et in duodenum se inferant, aut denuo in cystidem felleam conscendant. Sed eadem renovantur foenomena, si alii subsint calculi, aut iterum conscensi ad cystidem felleam, propellantur. Tum excitatur inflammatio, et inde suppuratio, aut gangraena; et interdum sub violenta contentione cystidis felleae ruptio contigit. Clarissima autem diagnosis est, si praeter subitam accessionem et intermissionem dolorum acutorum et lancinantium, et praeter icteri aliorumque symptomatum recursum, expulsio calculorum biliariorum cum faecibus adjun-

gatur. Notandum est, quod dolor a calculis productus, aut cum ingenti tensione ad dextrum hypochondrium circumscribitur, et quavis pressione etsi levissima exasperatur; aut ad lumbos, humeros, umbilicum, cartilaginem ensiformem extenditur. Sub vehementi dolorum aggressu aegri cubare in dorsum nequeunt, sed sedent, et ad aliquod captandum levamen truncum anterius flectunt; maxima est anxietas, et ob spasmodicas irritationes vomitus, alvi durities, et interdum febris cum pulsu duro superveniunt. Foenomena a calculorum irritationibus allata plus vel minus persistunt; sed quandoque accessus adeo sunt frequentes, ut tandem icterus, nausea, inappetentia, cibi fastidium, pruritus ad cutem firmiter morentur; flavus color fit nigricans, cosumitur corpus, deperduntur vires, oedema et ascites accedit. Si autem icterus absque calculis nascatur a spasmis vesiculae fellis, ductuumque bilis, dicitur spasmodicus, in quem propendent qui irritabiles sunt, et a vehementibus animi affectibus commoti. In hujusmodi ictero nulla est in hypochondriis duritia, nec in

hepate, partibusque vicinis voluminis augmentum, nec color croceus oculorum cernitur; affluens, perlucida, pallens urina redditur; pulsus est irregularis; interdum advenit diarrhoea. Hic icterus discutitur dum spasmodicae constrictiones resolvuntur, quae bilis fluxum impediunt; reditque dum iterum aggrediuntur spasmi. Observatum fuit, hunc spasmodicum icterum epidemice grassari. In ictero autem, qui dicitur hepaticus, utpote ab affectione hepatis, sive acuta, sive chronica ortus, ex qua bilis ductus maxime comprimuntur, ut ab inflammationibus, duritiis, tumoribus, apparent signa uniuscujuscumque affectionis propria, inter quae frequentiora sunt dolor in regione hepatis, gastrodynia, nausea, tardae coctiones. Si hepar inflammatione corripiatur, quae non resolvatur, sed in suppurationem transeat, et hac suppuratione producatur icterus, hic vocatur purulentus. Praeterea febris lenta, macies, et interdum substantiae visceris destructio, superveniunt. Cum icterus a morsu veneniferorum animalium nascitur, ut sunt viperae, scorpiones, canes hydrophobi, ve-

nenosus nuncupatur. Ortum etiam habet a venenatis substantiis, ut ab evaporationibus plumbi, arsenici, etc. A praegressa caussa, et a spasmis expedite cognoscitur. Si icterus incidat in infantibus, a collecto et retento meconio, dicitur infantilis. Si egeratur meconium, facile solvitur; sed interdum post hoc egestum, cutis prius fit subrubra, mox luteola. Tum nec oculi nec urinae luteo colore tinguntur, et sicut inquit P. Franch est potius erythema, quam icterus, ab atmospherae stimulo productum. Si autem icterus est symptomaticus, cognoscitur a morbis ad hepar non pertinentibus, ut sunt illi ventriculi, pancreatis, omenti, intestinorum, mesenterii, dextri renis, uteri, dexterique ovarii. Ab horum enim viscerum scirrho, steatomate; a collectione flatuum; ab hydrope; etc. comprimi possunt cystis et ductus bilis, ut inde sequatur icterus. Idem ob eandem rationem incidit in progressu gestationis, cum nimis distenditur uterus. Frequenter etiam icterus est symptoma febrium intermittentium; nam in earum accessibus corporis superficies flavo colore tin-

gitur, sed non semper oculorum albuginea, et excrementa maxime foetentia sunt et a bile colorata, et facile supervenit diarrhoea: sic febrium biliosarum, in quibus bilis copiosa est et exstimulans, et icterus a die quarta ad septimam solet comparere: sic febrium gastricarum, verminosarum, nervosarum, in quibus ipse modo in principio modo in progressu prodit. Interdum icterus spasmodicus ab affectione hypochondriaca, vel hysterica, et ab aliis convulsivis morbis, ut violentis colicis oritur. Icterus traumaticus ab externis laesionibus; criticus a levamine et imminutione symptomatum alicujus primarii morbi cognoscitur.

§. 1254. Examine cadaverum repertum est, colorem luteum in textum cellulosum, adipem, aponeuroses, musculos, tendines, cartilagines, ligamenta, capsulas articulares, synoviam, ossa, viscera, ipsamque cerebri substantiam diffundi; hepar durum, scirrhosum, tuberculis refertum, et quoad colorem mutatum; in ejus parenchymate, cystide fellea, bilis ductibus calculos; hanc cystidem, ejusque ductum, et choledochum

oppletum et distentum bile densa, obscura, picea, amurcae simili; interdum vermes tam in vesicula, quam in ductibus; in cavitate abdominis serum luteolum, ut et in aliis cavitatibus, sicut in ventriculis cerebri, praesertim apud infantes; viscera hepati proxima modo naturalia, modo aliqua labe temerata.

§. 1255. Caussa proxima icteri est absorptio bilis, quae in sanguinem transvecta per partes corporis dispergitur. Disponunt ad hunc morbum temperamentum melancholicum et biliosum et irritabile; vita sedentaria et moerens. Caussae excitantes sunt quae bilis cursum impediunt, aut hujus secretionem augent, quae inde in duodeno intestino cumulatur. Inter caussas, quae bilis transitum in duodenum cohibent, sunt calculi fellei, variae formae, duritiae, magnitudinis, superficiei. Habent colorem bilis, et ab hac fere efformantur. Inquit Van-Swieten §. 950. pag. 132. = Bilis enim retenta satis cito calculos producit: quod et observavi in bile, quam sponte in vase vitreo puro reliqueram, ut putresceret; in

fundo enim vasis grumos calculosos inveni. = Interdum vero non sunt calculi, qui ductus biliarios claudunt, sed grumi spissae bilis. Sunt etiam horum ductuum spasmi, qui ab animi affectionibus, animalis venenati morsu, drasticis, glutitisque venenis excitantur; obstructiones, duritiae, tumores hepatis, praecipue prope bilis ductus; inertia fere paralytica vessiculae fellis, ductuumque. Darwin descripsit icterum a paralysi, aut torpore communis bilis ductus profectum, electricis ictibus emendatum. Apud infantes frequentiores caussae sunt meconium, et etiam colostrum adinstar casei coactum et in intestinis collectum; mucus bilis ductus obstruens, et in intestinis cumulatus, bilis in cystide fellea congesta. Ejusmodi materiae dum foetus est in utero facile aggeruntur, siquidem deest respirationis motus, qui agit in viscera. Ad haec accedunt frigoris actio, vermes, circulationis mutatio, quae ortu contingit, aliquis affectus, quem tempore gestationis mater perpessa est. Baumes refert exemplum pueri, qui natus ictericus, et circa quartam hebdomadam mortuus est, in cu-

jus cadavere exiguus abscessus erat in hepate. Ejus mater, quae dysenteria laboravit, corpus habebat infirmum. Caussae vero, quae uberrimam bilis secretionem movent, sunt temperamentum biliosum, aestuans clima, quaedam animi pathemata, maxime ira. Inquit Klein Interpr. Clinic. pag. 189. = Frequentissimi ab ira morbi aurigo et erysipelas. Utut aliqui ingeniose celare studeant conceptum intus irae fermentum, colore tamen in visum effuso facile se produnt. = Denique icterus acutus et plethoricus a vehementi corporis exercitatione, abusu liquorum spirituosorum, sumptuoso victu, consuetarum exinanitionum sanguinis retentione progignitur.

§. 1256. Aestimatio caussarum, symptomatum, speciei morbi, praesagitionis fundamentum est. Ubi itaquae caussae sunt parvi momenti, ut abundantia bilis, pituitosa colluvies, collectae faeces, et aeger sit florentis aetatis, bonique corporis habitus, facile icterus disperditur. Contra si nimis provecta sit aetas, pravusque habitus, et adsint obstructio, vel corruptio hepatis, vel meatuum vitia. Interdum tamen prognosis a

caussis incerta aliquantum est, ut si icterus a calculis felleis proveniat. Hi enim dum exigui, rotundi, et leves sunt, canalium angustias superant, et in intestina descendunt; si ex adverso grandiores, asperi, et acuminati fiant, gravissima exoriuntur pathemata, et icterus immedicabilis est. Et quamvis omnia quiescant, nunquam promittenda est absoluta sanatio; siquidem calculosus icterus, ejusque foenomenorum congeries facile redit. Quoad autem symptomata, alia fausta alia infausta sunt. Spectant ad prima cutis non valde lutea, appetitus reversus, dejectiones regulares, augmentum secretionis urinae non amplius croceae, hilaritas, nullus ad hypochondria ponderis et oppressionis sensus. Quaedam interdum utiles secretiones accedunt, ut sudores copiosi, viscosi, foetidi, crocei; urinae abundantes, crassae, male olentes, stranguriosae; fluxus haemorrhoidalis; diarrhoeae biliosae, quae cito cessant, utpote a materiis productae in jecinore contentis, quae dum acres fiunt, desiliuntque in intestina, haec concitant. Ad altera vero immitis dextri hypochondrii et e-

pigastrii dolor, maxima imbecillitas, intolerabilis pruritus, vigilia, animi dejectio, lenta febris, consumptio, membrorum oedema, sitis inexplebilis, tremores, convulsiones, cutis color ad nigrum vergens, tympanites, hydrops, hepatis durities, dysenteria foetens et colliquativa, quae modo ab hepatis scirrho in cancrum abeunte, et ab ichore corrupti visceris, modo ab abscessu, et pure acriore reddito manat. Inter icteri species, luteus minus nigro periculosus est; niger vero saepe lethalis, maxime apud senes, ut singultus, sopor, vomitus atraebilis, aut sanguinis, portendunt. Icterus chronicus si in nimiam protrahitur longitudinem discrimine plenus est; nam a resorpta bile, a turbata digestione et chylificatione temeratur massa sanguinis, et inde debilitas, lenta febris, et macies consequitur. Interdum etiam contingit, quod bilis in cystide fellea tam tenax et viscosa fit, ut difficiliter exeat; aut tam irritans, ut ominosa jecinoris inflammatio suscitetur. Acutus vero icterus discrimen affert, si naturae hepatitidis participet; sed si vehemens non sit, sollicite curetur, et

haemorrhoides ex quibus retentis manavit morbus, profluant, expedite dissolvitur. Spasmodicus icterus modo brevis, modo exitiosus est, ut qui a vehementioribus animi affectibus provenit, sicut apud Morgagni Epist. 37. videre est. Persaepe etiam lethifer est, si a scirrho, et profunda hepatis suppuratione nascatur. Qui producitur a venenis vinci potest, si disperdatur fomes. Ut plurimum icterus infantum curabilis est, praesertim a meconio natus in intestinis collecto. Dum icterus vere symptomaticus est, ab aestimatione primarii morbi deducitur omen. Ergo si est febrium intermittentium benignarum symptoma, dummodo nulla lateat labes in jecinore, cum illis expedite curatur; sic si symptoma sistat affectionis hystericae, vel hypochondriacae; si sit gestationis effectus, fere post partum aufugit. Rursus est alea plenus, si sit febrium intermittentium malignarum comes; si a vehementioribus colicis producatur; si appareat in augmento phrenitidis; si inflammationibus hepatis, ventriculi, aliorumque viscerum adjungatur. Generatim in acutis morbis est o-

minosum symptoma, si ante diem septimum in conspectum veniat; siquidem primarii morbi augmentum revelat. Inquit Hippocr. aph. 62. Sect. IV. = Quibus in febre morbus regius supervenit ante septimum diem malum est; nisi confluxus humorum per alvum fiat. = Icterus traumaticus portendit discrimen, nec cito resolvitur. Criticus utilis est, si conditionibus ab ipso Hippocr. statutis, et experientia confirmatis contingat. Ita enim aph. 64. Sect. IV. decrevit = Quibus in febre die septima, aut nona, aut undecima, aut decimaquarta, morbus regius supervenit, bonum est: nisi dextrum hypochondrium durum sit: alioquin non bonum. = Id repetit in coac. praenot; et in aph. 42. Sect. VI. inquit. = In ictericis hepar durum fieri, malum. = Etenim haec durities indicat illuc materiem transferri, unde abscessus, scirrhus, aliaque mala consequi possunt. Pluries quidem criticum icterum vidi, sed nunquam tam evidenter, quam in febre rheumatica biliosa, in qua septima die comparuit, et nona liberalibus sudoribus una cum febre penitus evanuit.

§. 1257. Pro icteri curatione in primis auferenda caussa est, et massa sanguinis a bile vindicanda, deinde symptomatibus occurrendum. Si itaque caussae sint gastricae sordes, mucosa aut biliosa colluvies in duodeno, vermes, remedia sunt purgantia, emetica, anthelminthica, sapones, extracta amara; si vero bilis copiosa sit et acris, eligantur eccoprotica, diluentia, refrigerantia, ut cremor tartari, dilutum tamarindorum, decoctio graminis, serum lactis depuratum: si spasmi, balnea, semicupia, oleosa, clysteres emollientes, aut emollientes et anodyni, ut ex simplici infusione chamomillae, aut ex hac et laudano liquido; sed pro variis casibus, modo sedantur spasmi antiphlogisticis et anodynis minime stimnlantibus, modo opio ejusque compositis: si calculi, generatim laxantia quae ipsis transitum et exitum faciliorem praeparant, sedantia, et postremo quae, compressis spasmis, aliquo modo ad dissolvendas expellendasque calculosas concretiones valent, ut balnea, semicupia, fotus, clysteres emollientes, unctiones, oleosa, demulcentia, anodyna, sa-

pones , etc. Sedulo vero fugiantur irritantia, ne irritentur partes , jam a calculis lacessitae, ut fortiora purgantia, emetica, ictus electrici. Cum autem a calculis moveatur acutus dolor et febris , et adsit plethora , mittendus est sanguis , et regioni hepatis , aut vasis haemorrhoidalibus admovendae sunt hirudines ; nec omittantur balnea calida, fotus , et clysteres emollientes , et diluentes potiones. Si ita cessent symptomata, sed remaneant spasmi, in usum vocanda sunt quae eos molliunt. Hisce remissis , si subsistant calculi, experiri debemus quae hos solvunt, et expellunt. Talia credebantur acida mineralia, ut nitricum et sulphuricum ; sed esse inefficacia experientia demonstravit. Sic celebrabatur mixtura Durand ex tribus partibus aetheris sulphurici et duabus terebinthinae composita. Post emollientium usum dabat auctor duos scrupulos aut drachmam hujusce mixturae matutinis omnibus , et postea bibere serum , jus vitulinum , emollientem ptisanam suadebat. Verum enim vero hoc etiam remedium non solum esse potest impar , sed etiam nocuum, utpote sti-

mulans, dolores, et inflammationem excitans. Tutius adhibentur succi graminis, cichorei intybi, taraxaci; radix pareyrae bravae; tartarus solubilis, vitriolatus, sal sodae, epsonense, terra foliata tartari; sapo venetus, ; rhabarbarum; mercurius; aqua marina, tectuciana, et aliae sale imbutae; cremor tartari, et alia eccoprotica, quae ut inquit Burserius ad excretionem, atque ad intestina calculos alliciunt. Si autem icterus ab hepatis obstructionibus, et densa ac viscosa bile proveniat, resolventia et deobstruentia exterius et interius adhibeantur. Externa sunt balnea, stillicidia, unguenta, unctiones mercuriales, emplastra cicutae, etc; interna, quae exposuimus, et etiam gummi ammoniacum, calomelanus, extractum cicutae virosae, etc. Praeterea idoneus victus, equitatio, campestris aër maxime conferunt. Sed si hepatis durities scirrhosa sit, potius resolventibus exasperatur: consumptio et hydrops est hujusce morbi finis. Icterus a morsu venenosi animalis, aut a venenis ortus, varia pro veneni natura exposcit auxilia. Pro illlo autem infantum,

multum juvat maternum lac, utpote laxans. Oportet insuper exhibere aliquem syrupum, ut illum cichorei cum rhabarbaro, aut florum persicorum; aut paullum mannae in aqua saccharo condita solutum; aut tincturam aquosam rhabarbari cum aliquo syrupo, aut mixturam, quam Van-Swieten scrupulo saponis veneti, tribus unciis aquae foeniculi, et uncia syrupi cichorei cum rhabarbaro, composuit. Hujusce mixturae aliquot dantur cochlearia. Haec faciunt, ut meconium, sordesque intestinorum egerantur.

§. 1258. Icterus chronicus saepe ab imminuta actione hepatis, et bilis ductuum proficiscitur. Tum rhabarbarum; amara, ut decoctio marrubii albi, infusio quassiae amarae, cortex peruvianus; praeparationes martiales; aquae minerales; ictus electrici subveniunt. Sed si morbus in longum procedat, si cutis color niger subeat, praecipue opitulantur cortex peruvianus, et alia amara; acida mineralia; aptusque victus. Interdum chronico ictero spontanea supervenit diarrhoea, quae nisi violenta, nec magis infirmet, linquenda est; alioquin coher-

cenda, maxime in debilibus. Cum in lento icteri cursu appareat oedema, praeter roborantia, et nutrientem victum, usurpentur diuretica. Si autem icterus sit acutus, et inflammatoriis symptomatis stipatus, praesidia sunt venae sectio, hirudines, fotus, balnea tepida, emollientes clysteres, diluentia tepida, laxantia, oleosa. Si icterus sit plethoriricus, a suppressione menstruorum, vel haemorrhoidum productus, praecipue praestant hirudines vasis haemorrhoidalibus, vel partibus verendis applicitae, serum lactis tamarindatum, et parcus victus. Si vero symptomaticus sit, curatio primariis morbis congruere debet. Sed ubi est gestationis effectus, primis mensibus utilis esse potest sanguinis missio, si plethorae signa appareant; et etiam expedit, si sanguis congeratur in hepate, licet gestatio progressa sit. Item utilis est aliqua purgatio levis, si saburrarum intestinalium observentur indicia. Si denique icterus traumaticus sit, praecipua auxilia a chirurgia sumuntur.

ORDO TERTIUS

Retentiones substantiarum excrementitiarum purgationi corporis inservientium.

GENUS PRIMUM

Ischuria.

§. 1259. Ischuria, ἰσχυρία, urinae retentionem in vesica, et impeditam ejus secretionem in renibus significat, etsi potius illam, quam hanc denotet. Sunt qui impeditam secretionem nominant suppressionem; dum morbosam urinae collectionem in vesica retentionem dicunt. Alii solo suppressionis nomine utuntur, et hanc in veram et spuriam dividunt. Prima est urinae retentio in vesica, altera cohibita secretio in renibus. Praeterea veram suppressionem, seu urinae retentionem in vesica, subdistinguunt in completam, et incompletam. Illa absoluta urinae retentio audit, haec non absoluta, scilicet cum aliquid hujusce humoris effluit.

Haec subdivisio etiam suppressioni spuriae, seu cohibitae secretioni urinae aptari potest; siquidem modo secretio in totum impeditur, modo minuitur. Nos autem solo ischuriae nomine utimur, eamque ad morbi sedem indicandam in renalem, uretericam, vesicalem, uretrhalem distribuimus. Quaecumque autem sit ischuria, aut primaria, aut symptomatica est, ut ab exponendis caussis evidenter colligitur.

§. 1260. Ischuria renalis aut in defectu separationis urinae, aut in hac separatione insigniter imminuta consistit. Haec ischuriae species non est tam frequens ut vesicalis; nam si unus renum laborat, supplet alter; licet affectio unius communicari potest alteri, quod vero raro evenit. Dum subest renalis ischuria, non tumescit vesica urinaria, nec urget necessitas expellendi urinas, nec dolor circa pubem, nec pondus ad perinaeum; modo vexat acutus dolor ad lumbos, modo obtusus est, modo omnino deest; introductione catheteris urina non reperitur in vesica; si in initio non adsit febris, mox suscitatur, cum a suppressione urinarum fluida et solida notabiliter pertur

bantur. Superveniunt nausea, anorexia, cardialgia, singultus, vomitus, glandularum salivalium tumor, saliva urinae saporem habens, perspiratio et sudor etiam urinam olens, summa anxietas, assidua vigilia, meteorismus, vertigines, dyspnoea, anasarca, hydropes, convulsiones, delirium, sopor, epilepsia, apoplexia. Cum enim in sanguine serum et urinae principia redundent, necessario humores ab eo secreti, odorem et saporem urinae habere debent; effusiones serosae in cavitates incidunt; nervi et organa perniciosos effectus extinctae secretionis patiuntur. Haec sunt renalis ischuriae communia foenomena; sed saepe non desunt quae morbi caussam demonstrant. Si haec sit inflammatio renum, hujus apparent signa: si plethora, sanguineus est corporis habitus, et adnotabile robur; pulsus sunt pleni fortes; aliqua deficit consueta sanguinis exinanitio; exercitatio vehemens, quae confluentem sanguinem ad renes direxit, intenditque renalia vasa: si calculi, dolor aut remissus est, aut acutissimus; molestant pondus circa lumbos, vomitus aut vomendi voluntas, rigores, retra-

ctio testis et cruris stupor, urina quae reddebatur mucosa et sanguinea imminuitur, et in symptomatum et spasmorum augmento deficit : si coactus sanguis, adnotantur praegressa haematuria, et quae ad eam inferendam paria sunt, ut ictus, lapsus, longa et violenta equitatio; dolor ad lumbos, debilitas et pulsus parvus, nausea, rigores, anxietas, febricula, frigidi sudores: si pituita, aut mucus, genus corporis pituitosum, anteacti mucosi morbi, dolor lumborum obtusus et gravans, reliqua mitiora sunt : si suppuratio, praecessit nephritis, aut subest calculus; observantur superstes caloris sensus in lumbis, horrores, febricula, pulsatilis dolor, interdum fluctuans lumborum tumor, urina olida, turbida, albicans, cruenta, sedimen crassum, purulentum, floccosum, membranaceum deponens : si aliae valetudines, ut hysterica et hypochondriaca affectio, nervosae febres, dentitio difficilis, harum non desunt propria signa: si partium laesiones, ut in caput inflicta plaga, et in cerebrum diffusus sanguis, renalia vasa afficiuntur paralysi, et hinc urinarum sup-

pressio. Quandoque vero non prodeunt signa, quae caussam retegunt, ut si ischuria renalis producatur a vermibus in renum substantia abditis; quamvis de eorum praesentia suspicabimur, si verminosae diatheseos foenomena dilucida sint.

§. 1261. Hujusce ischuriae caussae aliae in renibus, aliae extra renes existunt, sed ita operantur, ut eorum functio pervertatur. Hae sunt inflammationes renum, aliorumque viscerum abdominis, ut et cerebri, ac pulmonum; rheumatismus; febres ardentes, et nervosae; epilepsia; partialis renum plethora; abscessus, scirrhi, calculi, spasmus, atonia, paralysis, vermes, grumi sanguinis, humores crassi et tenaces; compressiones a pinguedine, faecibus coli, et hydropicorum aquis; cantharidum usus; ictus in caput; etc. Ex istis caussis aliae irritant et inflammant renes; aliae spasticam constrictionem canaliculorum renalium movent; aliae resolvunt nervos, et actionem vasorum, et canaliculorum renum abolent; aliae premunt renes; aliae materias morbosas et tenaces mucos congregant; aliae faciunt, ut

aqueae sanguinis partes recedant a renibus, et ad alias dirigantur vias, ut in hydropibus usuvenit; alia recta, et aliae per consensum in renes agunt.

§. 1262. Ischuria renalis est gravissimus morbus, et saepe exitialis. Spes subest, si cito urinarum secretio restituatur; contra maxime timendum est, si diutius haec functio retineatur. Inquit Klein op. cit. pag. 66. = Ischuria nisi ante septimum diem tollatur, febris facile inflammatoria, sphacelus, imo mors superveniunt. = Sunt robusti homines, qui per plures dies hanc retentionem ferunt, et ubi fides observationibus habenda est, usque ad vigesimum quintum et trigesimum diem. Verum licet adeo ischuriae resistant, et inde urinae secretio renovetur, ob factam fluidorum, solidorum, et nobiliorum viscerum perturbationem, mortem fere non aufugiunt. Praeclari scriptores asserunt, nonnullos servatos fuisse urinosis excretionibus per umbilicum; sic vomitu, alvi fluxu, et sudoribus urinosis. Saepissime vero ejusmodi excretiones infructuosae fuerunt, et inde mors subsequuta fuit. Hoc ge-

neratim dicendum est ; sed propria praesagitionis ratio habetur , si caussae morbi , et symptomata perlustrentur. Ischuria itaque periculosissima et mortifera judicatur , si a renum inflammatione procedat ; gravissima quae nascitur a calculis, a quibus inflammatio et abscessus renum facile producitur; curatu difficillima , quae provenit a pure in renibus collecto; spes contra nobis adest, si in caussa sit plethora, dummodo sollicite instituatur curatio. Symptomata , quae interitus periculum portendunt , sunt febris , anxietas , dyspnoea , convulsiones , frigidi sudores , assidua vigilia , delirium , profundissimus sopor , apoplexia. Ischuria autem renalis symptomatica ut plurimum primarii morbi vicissitudines subit ; sed saepe hunc pejorem reddit , atque infaustum properat finem.

§. 1263. Curatio praecipue caussis pedissequa est ; sed interdum caussae obscurae sunt , et tum convenit quae vel in omnibus vel in plerisque casibus apta est , et quae consistit in venae sectionibus ; purgantibus ; emollientibus clysteribus ; semi-

cupiis, balneis ex aqua simplici, vel decoctionibus emollientibus, vel oleo; emplastris ad lumborum regionem; linimentis fotubusque. Evitentur diuretica, et lecti calor, qui calefacit lumbos: detur parca, egelida, acidula, emolliens, et mucilaginosa potio; alimenta sint levissima nec sale aromatibusque condita. Cum vero caussa patet, alia esse possunt auxilia. Si caussa sit inflammatio renum, aliorumque viscerum, curatio est eadem, quam de inflammationibus exposuimus: si plethora interdum venae sectiones urinae secretionem restituunt: si renulae, balnea tepida, et etiam mitiora diuretica juvant: si calculus, conveniunt balnea, clysteres; relaxantia, et diluentia; levia purgantia ex oleo amygdalarum dulcium, vel ricini; interdum ad leniendos dolores narcotica; et dum calculus renum inflammationem provocat, methodus antiphlogistica; et cum inflammatio in suppurationem abit, et interdum abscessus evidenti extuberatione et fluctuatione se promit in lumbis, est solus casus, in quo calculus nephrotomiam postulat: si pus colle-

ctum in renibus, exterius subveniunt laxantia, interius abstergentia, edulcorantia, balsamica, vulneraria, aquae thermales; et cum abscessus per tumorem et fluctuationem patefit, nephrotomia; sed cavendum est, ne pro abscessu sumatur tumor et fluctuatio, quae a cumulatis urinis ob impeditum transitum in ureteres producitur: si materiae lentae, tenaces, viscosae, prosunt incidentia, et secundum Troja, cum deest febris, calefactio, dolor, et cum de caussa certi sumus, mercurius exterius et interius adhibitus. Hic enim auctor innititur curationi a Vallisnerio feliciter peractae, quam ita refert Morgagni Lib. III. Epist. LXI. 5. = Sic Vallisnerius noster post decimum suppressionis diem accedente vomitu seri, calore, sapore, odore lotium referentis, virginem durasse vidit donec plurimis intus, et extra incassum adhibitis, mercurio tandem et dato et applicito renum vias reseravit. = Si caussa autem sit spasmus, utilia sunt balnea tepida, clysteres emollientes, levis purgatio ex oleo amygdalarum dulcium, anodyna, antispasmodica: si nervorum renalium paralysis, o-

pem ferunt fotus, unctiones, cataplasmata ex substantiis aromaticis; balnea frigida ex simplici aqua, aut minerali; stillicidia ad lumbos; equitatio; usus aquarum thermalium, et alicujus diuretici, sed non cantharidum, quae periculosum remedium sistunt: si tandem aliae aegritudines, in has praesertim dirigantur medicamina.

§. 1264. Ischuria ureterica est, cum secreta in renibus urina propter aliquod obstaculum per ureteres transgredi non potest. In hac igitur ischuria urina supprimitur; sed non omnino si morbosa caussa in uno tantum uretere immoretur. Verum in hoc casu ratione consensionis etiam alter ureter afficitur, ut saevientibus spasmis contingit. Hujusce morbi diagnosis non semper clara et indubia est; tamen occurrunt saepe communia signa, quae eum recludunt, ut nulla vesicae urinariae inflatio; nullus mejendi stimulus; immisso cathetere in vesicam non invenitur urina; renes in initio non videntur affecti; surgit dolor, et tensio secus ureterum iter; a retenta urina pelvis renum distenditur, et talis interdum distensio est,

ut tumor proveniat ad lumbos; accedit nausea, vomitus, et cito ischuria ureterica in renalem degenerat. Quandoque vero ex quibusdam propriis signis cognoscitur morbi caussa, ut sunt inflammatio, calculi. Ubi hanc caussam constituunt grumi sanguinis, aut pus, ut plurimum profluvium cruentum aut purulentum praecedit. Praeter inflammationem et extranea corpora plures esse possunt hujusce ischuriae caussae, ut tumores proximarum partium, qui ureteres comprimunt, nimirum distensio coli a coacto stercore; hujus intestini, nec non ilei, et uteri scirrhus; inflatio intestinorum a flatibus, eorumque inflammationes; gestatio ad extremam periodum; vitiosa ureterum constructio, et in ipsis polyposa substantia, et eorum parietes callosi, et ita interior membrana laxa, ut componat flexum, qui urinae cursum impediat; hydatides; etc. Interdum haec ischuria est hystericae passionis symptoma; siquidem in ejus spasmis constringuntur ureteres, qui non amplius transitum urinae permittunt. Si igitur ischuriae uretralis caussae ab illis ischuriae renalis parum differunt, et il-

la in hanc celeriter convertitur, alterutrius etiam praesagitio et curatio aequales sunt.

§. 1265. Ischuria vesicalis, quae ab urina in vesica retenta constituitur, etiam a generalibus et particularibus signis deprehenditur. In primis sunt hypogastrii extuberatio, naturalem vesicae urinariae figuram referens, contrectatione dolens, aliquantum fluctuans, dummodo vesica nimis referta non sit; dolor, sensusque ponderis ad vesicae collum et perinaeum; stimulus, et inanis mejendi nisus; in anum aut vaginam, admisso digito, insolens sentitur tumor; si dum fieri potest in vesicam introducatur catheter, subito abundanterque urina effluit, et inde dimittitur hypogastrii tumor, et evanidus fit; si vero catheter in vesicam non penetret, tam interdum augetur tumor, ut totum occupet abdomen, et ob compressionem super rectum intestinum alvi durities consequatur. Scire licet, aliquando vesicam imminui, et callosam fieri, et hoc in casu parum tumorem supra pelvim ascendere; sed si hoc signum deest, alia quae ischuriam vesicalem detegunt, praesto sunt; et cum digitus in

rectum intestinum immittatur, ex facili vesicae tumor percipitur. Cum autem educi non possunt urinae, praeter ingentem hypogastrii tumorem, citissime adveniunt gravissima symptomata, ut maxima anxietas, dolores dum renovantur mejendi nisus; faciei et oculorum rubor; febris, inflammatio; mutantur urinae, earumque subsequens secretio inhibetur, cum non amplius a proprio receptaculo excipiantur. Quoad autem particularia signa, si vesicalis ischuria a vesicae inflammatione nascatur, non deficiunt cystitidis signa: si a materia purulenta, quae collum vesicae claudit, signa abscessus et ulceris hujusce organi, aut renum, aut aliarum partium prodeunt: si a sanguinis grumis, praegreditur haematuria, aliaeque adsunt caussae in ischuria renali recensitae; urina suffecta sanguine dum cathetere extrahitur, et ipse cruentatur catheter: si a muco, temperamentum est pituitosum; urina ante retentionem turbida, et muco repleta; praevii mucosi morbi; cibique tenacis usus: si a calculo, dum redditur urina, haec subito supprimitur; vexat pruritus et dolor

penis, sensusque ponderis ad perinaeum; si in anum introducatur digitus, deprehenditur calculus; si immittatur catheter in vesicam, obstaculum invenitur: si a sphincteris vesicae spasmo nullum est in urethra impedimentum; durum apparet perinaeum; assiduus colli vesicae dolor, qui immisso cathetere, aut candela exasperatur; urina interdum per actionem potentiarum expellentium stillatim exit; denique extant caussae, quae hujusmodi spasmus afferunt: si a vesicae paralysi, non urget dolor, nec mejendi stimulus, etsi vesica repleta sit, et distenta; si prematur manu super pubem, aut sub impetu tussis, aliove conamine, quaedam exit urinae quantitas; et notantur caussae, quae hanc paralysin produxerunt: si ab urina diu in vesica retenta, aeger ipse hanc caussam revelat; insignis est vesicae dolor; assiduus stimulus, et inanis mejendi nisus; si comprimatur hypogastrium maxime distentum, egreditur urina: si a vesicae hernia, ubi haec adest, surgit tumor; cutis color non mutatur; non obscure sentitur fluctuatio; tumore compresso, augetur stimulus red-

dendi urinam, cujus interdum aliquot effunduntur guttae. Sic dum ab aliis caussis ischuria vesicalis producitur, apparent signa, quae eas patefaciunt, licet interdum perspicua non sunt, aut in conspectum non veniunt.

§. 1266. In hanc ischuriam admodum versi sunt senes, in quibus languet vesicae irritabilitas. Hi non amplius prompte et vivide possunt urinam depellere, quae saepe ad perpendiculum cadit; nec amplius ad exonerationis finem sentiunt ut antea contractilem vesicae vim; et ideo aliquid semper urinae in ea remanet. Inter excitantes caussas hujusce morbi, aliae actionem exercent in vesicae corpus, aliae in collum, et aliae extra comprimunt collum ipsum. Ad primas pertinent atonia fibrarum muscularium vesicae; paralysis hujusce organi, et tunicarum mutatio, et extra locum motio; quaedam obstacula, quae vesicae contractionibus, et libero urinae fluxui opponuntur. Atonia et paralysis vesicae multiplicem habent originem, scilicet oriuntur a perpessis urinae retentionibus; protractis expulsionibus, dum expel-

lendi urinam urget necessitas; tumoribus positis quo transeunt nervi, qui ad vesicam feruntur; nervorum laesionibus, aut in eorum origine, aut in eorum distributionibus; offensis spinalis medullae, quas inferunt ictus, lapsus in vertebralem columnam, fractura et luxatio vertebrarum, vehementes dorsi nisus, vitia spinae ut in cyphosi, ab effuso sanguine in vertebralem canalem compressio. Animadvertendum vero est, quod non semper ab ictibus, casibusque ischuria vesicalis per paralysin, sed interdum per irritationem subsequitur, ut dolor ad hypogastrium, instans mejendi stimulus, aegrotantis anxietas demonstrant. Haec autem irritatio aut a nervis spinalibus ad vesicae collum profertur, aut ab expositis caussis in ipso vesicae collo proficiscitur. Tunicae vero vesicae non eodem modo immutantur; nam crassescunt, durescunt, occallescunt, ut in corpore senili usuvenit. Interdum in exteriore superficie, et lateribus loculosa est vesica, et ejus loculi urina implentur, quae libere emitti non potest, et etiam sunt calculorum receptaculum. Congeniti vesicae lo-

culi, ab omnibus ipsius tunicis compositi, differunt ab illis, qui per aliquam morbosam caussam effinguntur, ut interdum per debilitatem quarundam vesicae partium inter fibras musculares expanditur interior tunica, et hinc efformantur loculi, qui extra exteriorem superficiem eminent; et ideo si retentio obtingat non unus, sed plures supra pubem deprehenduntur tumores. Aliquando turgescit interior tunica, et ut caussa est ischuriae uretericae, sic urinae expulsionem per vesicae collum compescit. Interdum etiam adhaesio faciei exterioris vesicae partibus internis abdominis contingit. Nec hernia hujus organi rara est, quae aut simplex est, aut herniae intestinali vel omentali conjuncta. Si retroversio, descensio, subversio uteri, aut recti intestini prolapsus incidat, connexionis caussa, haec viscera extra locum posita secum vesicam pertrahunt, quae non amplius restringi potest, et omnino urinam depellere. Praeterea cum initium urethrae etiam a vesica trahatur, hinc illa consuetam directionem mutat, et ejus latera versus symphysin pubis comprimuntur. In-

ter autem caussas, quae vesicae collum aggrediuntur sunt inflammatio; spasmus; quidam tumores; colli ipsius crassities, durities, callositas, scirrhus; quaedam extranea corpora, quae intus ejus orificium claudunt, ut calculus, sanguinis grumi, pus, mucus tenax, vermes et ipsa interior membrana a vesica sejuncta. Tandem caussae, quae exterius orificium colli vesicae obserant, sunt sanguis in imum ventrem diffusus; tumores in viciniis, ut scirrhi, fungi, inflammatio recti intestini; abscessus et ani fistula; haemorrhoides; indurata excrementa, et flatus in recto intestino clausi. Hisce in casibus etiam irritatio potest spasticam colli vesicae constrictionem excitare. Mulieres propter brevitatem et majorem latitudinem, et rectum iter urethrae minus hominibus ischuria vesicali laborant. Tamen per expositas caussas, aliasque earum proprias in eam interdum incidunt. Hae propriae caussae sunt tumores inter rectum intestinum et vaginam; graviditas; uteri inflammatio, calculus, polypus, prolapsus, subversio; effusus et retentus sanguis in vagina, vel quia

ejus exterior hiatus aliqua membrana, aut carnosa substantia clauditur; vel ejus parietes, nymphae, labia vulvae coalescunt.

§. 1267. Ischuria vesicalis periculosa semper est, maxime in senectute. Si caussae tolli possunt, ut atonia simplex, subest sanationis spes, licet in senibus saepe incontinentia excipit ischuriam; secus gangraena timenda est, ut symptomata gravissima ostendunt, scilicet febris, respiratio gravis, virium resolutio, singultus, vomitus, sopor, delirium, pulsus parvi, contracti, anxietas, sudor, extremitatum frigus. Diximus, interdum per universum fere abdomen vesicam extendi; sed ut plurimum anteaquam ad tantam extensionem perveniat, inflammatione corripitur et gangraena. Vesicalis ischuria, quae auferri non potest, si secretionem urinae detineat in renibus, id praecipua esse potest mortis caussa, ut Troja, et deinde alii animadvertunt. Interdum retenta urina alias vias sibi comparat, et tum aeque grave instat discrimen. Si caussa sit inflammatio vehemens vesicae, saepe et cito gangraena sequitur: si vesicae paralysis a laesionibus

spinalis medullae producta, ut dum eam inundant sanguis, serum, aut ichor; vel eam pungunt ossea fragmenta; vel exostosis comprimit; luctuosus exitus fere est: si nimia vesicae distensio, quam posthabita urinae expulsio, dum urgebat mingendi stimulus, produxerit, si prompte non feratur auxilium, organi digeritur contractilitas, morbusque gangraena finitur; si vesicae callus, scirrhus, polypus, ischuria vix emendabilis, et anceps est: si calculus, illius extractione obtineri potest sanatio. Tandem si caussae sint organicae, quae emendari nequeunt, et quae incompletam retentionem producunt, ut interdum evenit, dum adsunt morbosi vesicae sacci, subsidit morbus, donec perducitur vita.

§. 1268. Ut removeantur vesicalis distensionis pericula, citissime, quantum per nos licet, urina detrahenda est; deinde arcendum quidquid illius expulsionem impedit. Quamvis communia adjuvant auxilia, ut venae sectiones, fotus emollientes, balnea calida, etc; nihilominus necessaria sunt, quae naturae caussarum cogruunt. Ergo si caussa

sit inflammatio vesicae, curatio est quae in cystitidem convenit. Sed dum nec inflammatio, nec ischuria resolvitur, nec chorda musica immitti potest in vesicam, ad hujus punctionem transeundum est, quae aut per rectum intestinum, aut perinaeum, aut hypogastrium, aut vaginam fit. Si autem caussa sit calculus vesicae, adhibentur lithonthryptica; sed curatio radicalis illius extractio est: si abundantes muci, juvant incidentia, et balnea tepida, et catheteris usus: si vesicae atonia, in quam saepe incidunt senes, et interdum juvenes per immoderatam venerem, et nimias diureticas potiones, in principio excitanda est vesicae actio, quod interdum obtinetur pressionibus super hypogastrium, quae manu fiunt, et applicationibus frigidae ad varias partes, ut ad hypogastrium, coxas, et eam in faciem aspergendo, et in eam manus mergendo, nudosque pedes terrae apponendo; sed ubi haec inutilia sunt, cathetere opus est, quo si prudenter utamur, non solum urinae extrahuntur, sed etiam saepe vis restituitur vesicae, ut Desault, aliique asserunt. Hoc vero in-

strumentum aut in vesica linquitur, aut cum necesse est, in vesicam introducitur. Tam adhiberi potest illud argenteum, quam aliud ex gummi elastico, quod praefertur, si in vesica manere debeat. Post aliquod autem tempus aeger tentet sine cathetere urinam depellere. Quidam in hoc casu suadent vesicans ossi sacro applicitum. Alii experti sunt injectiones adstringentes, balnea frigida, diuretica, balsamica, linimenta ex tinctura cantharidum; sed haec in hominibus provectae aetatis ut plurimum nocua sunt, sicut affirmat Desault. Si vero ischuria nascatur a vesicae paralysi, curatio differt pro variis caussis, quae hanc produxerint. Si proveniat a luxatione vertebrarum, hae sunt suo loco reponendae, et cum temperamentum plethoricum sit, vena secanda est, urina per cannulam flexilem extrahenda; si a provecta aetate, subveniunt tonica, stimulantia, diuretica, balsamica, calidae et aromaticae fomentationes, vesicans ossi sacro admotum, stillicidium super hypogastrium, semicupia et balnea frigida ex aqua simplici, aut minerali, nix pedibus, ut per nervos crurales

ad vesicam propagetur stimulus, introductio fluidi electrici absque ictu, injectiones roborantes ex infusione aquosa aromatica, aut ex decoctione corticis peruviani, quas vero inquit P. Franch sine utilitate, sed sine damno expertum fuisse, et cannula flexilis, quae per plures dies in vesica linquenda est, et cujus usus repetatur, donec necessitas postulet. Cum vero ischuriae caussa sit hernia vesicae, si simplex, ubi fieri potest, reducatur, et deinde adhibeatur cingulum; sed si reduci nequeat, pressione depleatur tumor, et sustineatur fascia; et cum paullatim intra abdominalem anulum redeat vesica, cingulo utendum est. Si vero pars protuberans stranguletur, nec fluidum ad aliam organi partem repelli possit, tumoris punctio per acum triquetram proposita est; sed si hernia vesicae cum enterocele complicetur, pungi potest intestinum. Quamobrem potius existimabat Desault curiosa incisione aperire tumorem, et etiam protuberantem cystidem secare, cum inter hanc et vesicam dirempta esset communicatio. Cum autem ischuria producatur a pelvis visceribus a na-

turali positu amotis, haec reducenda sunt; sed si reductio protinus fieri non potest, aut si reductione statim ischuria non tollitur, adhibendus est catheter, ut exhauriatur vesica. Sed aliquando mutata urethrae directio introductionem catheteris difficilem reddit, etsi plures adhibeantur catheteres. Cum reductio viscerum, et catheteris immissio obtineri non possit, siquidem urget vesicae ruptionis periculum, hanc per acum triquetram vacuare necesse est. Si vero ischuria nascatur a spasmodica colli vesicae constrictione, quae a pluribus caussis excitari potest, interdum levissimis, ubi immodica et morbosa est colli ipsius sensibilitas, varia sunt eligenda remedia. Balnea tepida, emollientia, clysteres et vapores ejusdem naturae, communia remedia sunt. Laudanum liquidum, et opium indistincte dari non debet. Haec enim nocua sunt, si spasmus veniat a stimulo; cum saepe prius convenit sanguinis missio, emollientia, relaxantia. Cum vero amotus quivis stimulus sit, et persistat spasmus, et dolores excrucient, usurpari possunt antispasmodica, et aliquod opii gra-

num , et clysteres ex decoctione chamomillae cum laudano . Si ischuria ortum habeat a grumis sanguinis , tenaci pituita , purulenta materie , quae obstruat vesicae orificium , expediunt usus . catheteris , balnea tepida , injectiones aquae egelidae , ut dissolvantur et emolliantur materiae. Si collo vesicae efformatus sit abscessus, ut plurimum introductione catheteris rumpitur. Si retentionis urinae caussa sit compressio super vesicae collum nullo modo auferenda , ut in scirrhosis et cancerosis uteri affectibus evenit, solum auxilium catheter est: si induratae faeces, et collecti flatus in recto intestino , juvant clysteres , purgantia , semicupia , fotus ; sed interdum faecum egestio nec per purgantia, nec per clysteres facilis est , et hinc saepe manus operatio requiritur ; flatus autem ope fistulae a recto intestino extrahuntur, si illius tubulus intromittatur in anum , et deinde retrahatur embolus. In mulieribus , ut observavimus , praeter uteri prolapsum , aliae sunt caussae , quae vesicalem ischuriam pariunt. Si hae caussae sint polypi , aut aliae excrescentiae , tentandum est , ligatura vel

alio modo eas adimere; si imperfossa vagina et vulva, necessaria est chirurgica operatio. Et cum caussae auferri non possint, solum praesidium catheter est. Non raro haec ischuria gestationis tempore, et prope partum incidit. Primis mensibus opus est duobus digitis in vaginam immissis uterum elevare; sed cum auctum sit ejus volùmen, aut manibus sustinendus est, et a pube removendus, aut mulier supina urinas depellere nitatur. Cum haec imparia sint, adhibendus catheter est, ut prope partum, cum urina nulla ratione reddi potest. Cum foetus collum vesicae premat, ejus corpus dilatatur, et sursum pellitur, et tum quia brevis est syringa pro mulieribus, illa pro hominibus subroganda est. Interdum perdifficile est instrumentum indere, etsi per singulos versus dirigatur. Idcirco flexilis catheter praeferendus est, qui facilius penetrat, omnibusque conversionibus aptatur.

§. 1269. Ischuria urethralis frequens est; nam praeter caussas, quae impedire possunt urinae cursum per urethram, ut grumi sanguinis, mucus, pus, calculi, phimosis, haec inflam-

mationi; constrictionibus spasticis; callositati carunculis ; cicatricibus ; excrescentiis spongiosis, polyposis, fungosis ; exulcerationibus ; compressionibus subjicitur. Communia hujusce ischuriae symptomata sunt circumscriptus ad hypogastrium tumor, frequens mingendi stimulus , dolor in aliqua urethrae parte, difficultas quae in introducendo cathetere invenitur. Propria vero signa , ut et discrimen , et curatio a dissimilibus caussis dependent. Itaque si caussa sit inflammatio , non desunt hujus indicia , ut febris , dolor, calor , tensio ; et curatio consistit in sanguinis missionibus , fotubus , clysteribus emollientibus , semicupiis , victu tenuissimo : deinde inflammatione subacta , si persistat ischuria , maxima cautela immitti debet catheter ; sed si morbus omnibus remediis repugnet , nec catheter induci potest , ad vesicae punctionem veniendum est. Si autem caussa sit calculus urethra constrictus , cognoscitur a diathesi calculosa, a dolore et tumore ipsius urethrae et penis , ab obstaculo solidi corporis, quod invenit catheter, cum in uretram impellitur. Calculus interdum in urethra efformatur ,

interdum a vesica descendit. Hi calculi claudunt, dilatant, inflammant, exulcerant urethram, unde nascuntur fistulae, quae per ipsum scrotum nonnunquam irrepunt. Remedia sunt sanguinis missiones, laxantia, balnea, semicupia, injectiones oleosae, quibus facilius dilabatur calculus; sed ubi nihil juvat, instrumentis extrahendus est; et ubi id non succedit, sectione eripiendus. Si grumi sanguinis, pituita tenax, materiae purulentae in caussa sint, curatio non differt ab illa vesicalis ischuriae, quae eandem habet originem. Interdum per rudem candelarum introductionem laceratur urethra, et tum plerumque per scroti et penis membranam cellulosam urinae diffusio sequitur, et hinc harum partium tumor, et saepe gangraena, et urinae retentio. Catheter ex gummi elastico mature immittatur, et retineatur, donec solutae partes coeant et sanescant. Ut autem amoveantur mala, quae ab effusione urinae accedunt, prosunt sanguinis missiones, fotus, antiphlogistica, et etiam incisiones ad inferiorem tumoris partem. Urethra, ut diximus, obnoxia est spasticis constrictionibus, quae a

pluribus caussis manant. Quandoque nascuntur a stimulorum actione, ab abusu vini, liquorum spirituosorum, substantiarum aromaticarum, et tum auxilia sunt venae sectiones, hirudines ad perinaeum, balnea tepida, fotus ad regionem hypogastricam; quandoque ab immodica sensibilitate, et tum antispasmodica, anodyna, clysteres ex decoctione malvae cum oleo, aut chamomillae, cataplasmata tepida ad genitalia, et emollientes fotus opitulantur. A recentioribus tinctura ferri muriati celebratur, quae ad paucas guttas dari solet, donec resolvatur spasmus. Secundum Cline hujusmodi tinctura ad dissolvendum vesicae spasmum specificam habet actionem. Sed si omnia incassum fiant, subtilis catheter ex gummi elastico introducatur, qui si penetrare non potest, tenuis candela adhibenda est; et ubi ne haec quidem ingreditur, ad vesicae punctionem transeundum est, et linquenda cannula, donec discutiatur spasmus, et per urethram effluat urina. Illius vero constrictio non semper a spasmo, sed etiam ab aliqua callosa caruncula editur. Nostris temporibus exten-

ditur caustici usus, qui ab Hunter, aliisque Angliae chirurgis habuit initium; deinde a Petit, Duchamp, Richerand, aliisque non solum Galliae, sed etiam Italiae arrogatus. Plures vero adhuc causticum rejiciunt; siquidem ejus effectus horrent. Ex his ego etiam fui, ut vol. v. de profl. pag. 265. declaravi. Cum autem non raro causticum feliciter cesserit, mihi modo videtur non omnino esse respuendum; sed oportet discernere casus in quibus convenit, ne temere adhibeatur. Quidam in constrictionibus urethrae, quae veniunt a spasmo, laudes conferunt candelis nitrate argenti instructis; nam ad solvendum spasmum valentissimum auxilium existimant; sed in hoc casu periculosissimum mihi videtur causticum, minimeque experiendum. Partes enim adeo sunt irritabiles, ut ex facili inflammatio et gangraena subsequatur. Dum vero hujusmodi urethrae constrictiones nascuntur a callosis carunculis, quae alio modo destrui nequeunt, adoptandum causticum est, de cujus utilitate a practicis fide dignissimis certiores facti sumus. In annal. med. Omodei vol. LXIX. fasc. Febr.

1834. legitur epistola Doct. Malvani de methodo curandi urethrae constrictiones, in qua cujusdam narratur historia, qui ab aliquot annis incompleta urinae retentione vexatus, caustico fuit persanatus. In initio hujusce praxeos adhibitus fuit argenti nitras; tum Whately proposuit, vocavitque in usum potassam furam, quae citissime dimissa, nunquam deinde relictus fuit argenti nitras. Plura autem alia sunt urethrae mala, quae fluxui urinae obsistunt, quorum curatio ad forum chirurgicum omnino spectat; sed cum haec emendari non possint, ad vesicae punctionem veniendum est. Ex frequentibus vero ischuriae urethralis caussis sunt prostatae tumores vel inflammatorii, vel chronici; abscessus; calculi, qui in ejus generantur substantia; ejusque varicosa vasa. Dum tumores inflammatorii sunt, conferunt sanguinis missiones, hirudines ad perinaeum et circa anum, clysteres emollientes, balnea calida, victus tenuissimus; sed si haec non juvent, curandum est, ut introducatur syringa ex gummi elastico. Si tumores scirrhosi sint, praeter remedia, quae

conducibilia creduntur, immittendus est catheter; sed non raro ob insignem tumorum crassitiem hoc fieri non potest, et tum vesica pungenda est; at non ad perinaeum, nec ad rectum intestinum, magni prostatae voluminis caussa; et donec catheter hoc inveniat obstaculum, cannula acus triquetrae retrahenda minime est. Ubi autem subest abscessus, aut calculus, incisio necessaria est, ut ille aperiatur, hicce extrahatur. Cum vasa prostatae varicosa praeter modum sunt, immittatur catheter ex gummi elastico, et quidem crassus subtili praeferendus est. Prostatae duritiae saepe efformantur in senectute, et fere blennorrhagiae venereae consecutiones sistunt. Ischuria urethralis etiam proficisci potest a phimosi, quae cum variae sit speciei, varia postulat auxilia, ut emollientia, relaxantia, resolventia, mercurialia, sectio. Tandem interdum nascitur ab urethrae obturamento, modo congenito, modo adventitio, circa quod chirurgia versatur.

GENUS SECUNDUM

Dysuria.

§. 1270. Dysuria, δυσουρία, est difficilis urinae excretio. Est primaria, si nascatur a caussis, quae primiter in vesicam, et urethram agunt; symptomatica, si proveniat a morbis vel acutis vel chronicis, generalibus, aut localibus; secundaria, si a precedentibus affectibus, materiisque morbosis quae in vesicam et urethram transiliunt. Quoniam praeter generalia et characteristica dysuriae signa, alia sunt, quae ejus caussam ostendunt, maxime interest haec dignoscere, quod vero non est semper expeditum. Si itaque oriatur dysuria ab urinae acrimonia, haec caussa distinguitur ab illius qualitatibus; a praegresso abusu vini, liquorum spirituosorum, cibi acris, sale aromatibusque nimis aspersi; a corporis habitu: si a vesicae calculo, cognoscitur a frequenti et gravi mejendi stimulo; a dolore glandis, qui in mictione exasperatur; ab as-

siduo pondere ad perinaeum ; a subitanea urinae suppressione dum ea redditur; a dolorum exacerbatione, sub quavis violenta corporis exercitatione ; et introductione catheteris in vesicam , quin caetera exponamus signa : si a carunculis, et cicatricibus , saepe mictus est bifurcus , et venerei fluxus, ut plurimum temere curati , praecesserunt. Si autem dysuria symptomatica est, adest aliquis morbus , qui eam producere valet , ut nervosae irritationes , quae ubicunque contingant, saepe spasmus ad vesicam extenditur. Frequenter dysuria est hystericae affectionis effectus , ut animadvertit Sydenham , et quandoque calculum mentitur. Recordatione dignissima observatio est , quam Sauvages Nos. meth. tom. II. pag. 389. ita paucis refert. = Dysuria hysterica ita calculum mentitur quandoque , ut lithotomistae iis symptomatis delusi operationem necessariam judicent , ut observavi in Marchionissa St. Victor , quae per mensem hoc morbo laboravit ; symptomata subito accesserunt post vertiginem hystericam ; ea vertigine redeunte , subito evanuerunt , et lithotomistam

stupentem dimiserunt = In affectione hysterica saepe vesicae sphincter spasmo corripitur, ut et aliae partes, unde nascitur illa symptomatum varietas, hujusce affectionis propria. Non raro etiam dysuria ab affectione haemorrhoidali producitur, et tum haemorrhoides praeter modum tumefactae et durae observantur, ex quibus irritantur nervi, qui ad urethram pertingunt. Sic dysuria secundaria distinguitur a praegressis morbis; ut illa ab herpetis retrocessione orsa, ab hac ipsa cognoscitur, et a gravi quem affert dolore, et ab urinis mucosis et furfuraceis. Interdum in resolutione morborum acutorum, cum morbosae materiae per urinae vias eliminantur, ab earum stimulo urinae difficultas producitur.

§. 1271. Dysuria senibus familiaris est. Ad eam etiam maxime disponunt temperamenta plethorica, et irritabilia. Hunc morbum excitant alimenta et potiones, quae stimulantibus et acribus qualitatibus pollent; cantharides; calculus; hernia vesicae; hujusce colli exulcerationes, et spasmi; urethrae mala, maxime constrictiones, quae fluxibus vene-

reis succedunt; vita sedentaria; infandum mastrupationis vitium; membranula hymen dicta in virginibus non perforata; plures morbi vel generales, vel locales partium proximarum, et etiam a vesica dissitarum, ut affectiones nervosae, colicae, iliaca passio, scorbutus, retrocessae impetigines, ulcera et calculi renum, abscessus et fistula ani, pluraque uteri et vaginae mala.

§. 1272. Generatim dysuria periculosa est, curatu difficilis, et interdum in ischuriam transit. Ejus vero discrimen et diuturnitas a caussis praecipue pendet, quae modo graves, modo tam leves sunt, ut morbus fugax sit. Sed considerentur etiam symptomata, et an dysuria primaria, vel symptomatica, vel secundaria sit. In senibus alea plena est, et saepe per reliquum vitae cursum permanet, maxime si illi venereis fluxibus pluries laboraverint. Si caussa sint vermes, persistit morbus, donec hi non enecentur, nec expellantur; si defectus foraminis in hymene, satis est hujus membranulae sectio; si ingens vesicae calculus, sanatio non obtinetur, nisi hujus extractione. Illa dysuria fugax

est, quae in hominibus et etiam in mulieribus post frequentem et vehementem coitum contingit. Acerbi et assidui dolores inter graviora symptomata adnumerantur, utpote qui possunt convulsiones et febrem excitare. Maxime pertinax est dysuria, si ab herpetis retrocessione oriatur. Quae vero corripit versus morborum acutorum finem, offert resolutionis signum, si illorum symptomata minuuntur, et cessant. Interdum etiam quae morbis chronicis, ut asthmati, supervenit bona est, sicut adnotavit Baglivi.

§. 1273. Medicamenta alia generalia, alia particularia sunt. Ad prima spectant sanguinis missiones; interna et externa emollientia, et quae urinae qualitates mulcent, ut fotus ad pubem et perinaeum; cataplasmata; semicupia et balnea tepida aut ex aqua simplici, aut ex decoctionibus herbarum emollientium; clysteres ex decoctionibus malvae, seminum lini, vitulini omenti; decoctiones potui dandae hordei communis, aut Germaniae, florum malvae, vel violarum, radicis althaeae; emulsiones seminum frigidorum; solutiones gummi arabici, dra-

ganti in aqua ; mucilagines seminum malorum cydoniorum ; serum lactis , aut lac multa aqua dilutum : praeterea juvant levia purgantia ; aliquod narcoticum, si excruciet dolor: victus consistat in jure ex quo aut endivia , aut lactuca , aut borago coquatur, et in pulmentis; assueta longior sit corporis quies; animi tranquillitas non turbetur; frigus, coitus, et violentae exercitationes fugiantur. Quoad vero particularia remedia, pro caussis varia sunt. Si dysuria oriatur a renulis et exiguis vesicae calculis, conveniunt lithonthryptica, a quibus non raro renulae et exigui calculi conteruntur, confringuntur, et a vesica expelluntur, ut ab infusione uvae ursi pluries observavimus: sed si nascatur ab ingenti vesicae calculo, non aliud extat auxilium, quam lithotomia. Si vero dysuria sit venereae originis, et a carunculis , vel urethrae cicatricibus producatur , expediunt candelae , et mercurialis litus. Si sit symptomatica , vel secundaria , ad primarii morbi naturam aptentur auxilia.

GENUS TERTIUM

Stranguria.

§. 1274. Stranguria, στραγγουρία, est urinae stillicidium cum frequenti et doloroso ad mejendum stimulo. Qui ergo hoc morbo laborat non potest nisi guttatim excernere urinam, quia dum iterum urget mingendi necessitas, sensu strangulationis in urethra corripitur. Urinae autem, quae inter doloris morsus, conatus, querelas destillant, saepe mutantur, et sanguinis striis, et mucosis filamentis immiscentur, et foetent. Stranguria est primaria, symptomatica, secundaria, et easdem habet caussas ac dysuria. Cum primaria est, ejus caussae primitus in vesicae collum, vesicam ipsam, et urethram operantur. Praeter igitur generalia signa, particularia sunt, quae morbi originem saepe manifestant. Inter frequentiores caussas sunt carunculae, cicatrices, callositates urethrae, quae fluxibus venereis, et injectionum adstringentium abusui superveniunt.

§. 1275. Stranguria pro diversis caussis, symptomatisque est plus vel minus gravis; sed nunquam est tam fugax, ut interdum dysuria, quia nunquam caussae adeo leves sunt. Aliquando stranguria in dysuriam, aliquando in completam ischuriam abit; et tum gravia comparent symptomata; suscitatur febris; eo magis dejiciuntur vires, et mors subsequitur. Galenus dubitat, an genuinus sit Hippoc. aph. 44. Sect. VI: et an vere contingat quod in se continet. Hic aph. sic se habet = Quibus ex stranguria volvulus accedit, intra septem dies intereunt, nisi oborta febre copiosa urina effluat. = Et re quidem vera si a stranguria veniat volvulus, et deinde febris, manifestum est, irritationem extendi ad intestina, quae proinde inflammantur. Cur igitur febris utilis esse poterit? Quod hujusce aphorismi propugnatores dicunt, suadum minime est, imo etiam inane, ut acrimonia est, quam in nerveo succo posuit Gorter, et quae febrem, volvulum, stranguriam excitat, et commota ab incitato vitali motu ad renes adducitur, et sub forma copiosae urinae detruditur. Fa-

tetur Van-Swieten Com. ad aph. 995. Boerh. raro contingere quod Hippocr. asserit; nam post longum praxeos exercitium id idem semel observavit. Cum igitur hujusce Clariss. auctoris observatio negari non possit, dicendum est, per naturae vires resolutum fuisse morbum, ipsamque intestinorum inflammationem. Sed quod rarissime evenit, statuere non potest legem, nec dici potest, febrem inflammationis pedissequam attulisse salutem. Nihilominus animadvertendum est, quod interdum stranguria nascitur a spasmo, qui si ad intestina propagetur consequi potest volvulus. Si, ut accidit in reliquis spasmodicis affectibus, suscitetur febris, haec utilis esse potest, quia resolvit spasmum, et hoc discusso, copiosa effluit urina. In hoc tantum casu probabile mihi videtur quod in exposito aphorismo divinus praeceptor asseverat. Denique stranguria symptomatica, aut secundaria in ratione primarii morbi habet exitum. Interdum vero dum sequitur acutos morbos boni ominis est, si eorum symptomata imminuantur, et evanescant.

§. 1276. Curatio stranguriae cum illa dysuriae perfecte convenit ; sed solum observandum est , interdum in stranguria utiles fuisse oleosas et emollientes injectiones in urethram, ut ex recenti oleo amygdalarum dulcium , aut ex decoctione malvae vel althaeae , aut ex recenti lacte. Indubium est , quin inter caetera , externa et interna emollientia , praesertim balnea et semicupia tepida , longe praestant. Etiam ex usu candelae sunt , quae vere juvant , si in urethra existant carunculae , callositates , etc; sed si in ea non occultetur caussa, ab illis cavendum est.

GENUS QUARTUM

Coprostasis.

§. 1277. Suppressio ventris ab Alibert vocatur coprostasis. Etenim κόπρος stercus , et στάσις stagnationem significat. Quoniam ventris suppressio modo consistit in tarda et difficili faecum egestione , mo-

do in hac ex toto retenta ; in primo casu a Burserio, aliisque anterioris memoriae scriptoribus dicitur alvi adstrictio , in altero alvi obstructio. Antequam vero de ventris suppressione dicamus , observandum est , hanc non semper morbum constituere ; sed tum solum cum sanitatem offendit. Multi sunt qui per plures dies non egerunt excrementa , nihilominus eorum sanitas floret. Apud auctores mirifica leguntur exempla illorum, qui per plures menses et annos alvum non exonerabant. Sed hisce in casibus aliquo modo laesam sanitatem fuisse arbitror ; et ideo libenter repetam quod Haller Tom. 7. Elem. physiolog. pag. 285. dixit = Verum etsi passim legas , cum satis bona valetudine hanc diuturnam alvi tarditatem conjunctam fuisse , et in senibus minus videtur nocere , non tamen ullo modo crediderim , ad rectam valetudinem tantam intestini pigritiam pertinere. = In sanis hominibus regulares sunt viscerum gastricorum functiones ; et ex his plures sunt , qui quavis viginti quatuor horarum periodo vacuant ventrem. In illis perfectae valetudinis libere descendit bilis in

duodenum, ubi succo pancreatico et massa chymacea miscetur. Hujusmodi substantiae vicissim decomponuntur, et inde pars magis solubilis tenuis nutriens chymi cum portione bilis et succi pancreatici componit chylum; dum excrementitia pars cum altera portione bilis in faeces convertitur. Haec excrementitia pars bile et muco intestinorum mixta, fere prorsus partibus tenuibus et alibilibus orbata, consistit in caeco intestino, quod dum ea adipiscitur stimulantem indolem irritatur, eamque in coli concamerationes propellit, ex quibus per ejusdem coli contractiones transit in rectum, ubi faeces et ob earum molem, et qualitates acriores, excitat molestum sensum, qui ad egerendum vocat; idque fit per plures potentias, nimirum diaphragmatis, quod deprimitur; recti, musculorum abdominalium, elevatorum ani, qui contrahuntur; sphincteris, qui dilatatur. Si qua ex istis conditionibus deficit, subsequi potest morbosa faecum retentio, quae interdum gravibus stipatur incommodis. Si intestina et abdominales musculi atonia laborant, accedit illa ventris suppres-

sio, cui debiles et aetate provecti subjiciuntur: si intestinorum fibrae sunt admodum irritabiles, producitur illa alvi compressio, quam robusti, juvenes, et plethorico temperamento praediti patiuntur. Si igitur a diversis et oppositis caussis supprimitur venter, haec suppressio, si primaria sit, in sthenicam et asthenicam dividitur; si vero symptomatica, est morborum universalium, vel partialium intestinorum, aut aliorum organorum effectus.

§. 1278. Cum suppressio ventris incipiat, rariores et difficiliores evadunt dejectiones, quae aliquando omnino supprimuntur. Interdum faeces cumulantur et durescunt in caeco; sed hoc maxime evenit in colo. Inchoat nausea, et cibi fastidium, pervertuntur digestiones et os amarum fit; tumet distenditurque abdomen, et inde diaphragmatis motus impeditur, et respiratio gravis redditur; cum augetur aggestio faecum, inhibetur etiam peristalticus intestinorum motus, corpus torpet; ob compressionem fibrarum et vasorum intestinalium superveniunt anxietas, vertigines, capitis do-

lor, vasorum haemorrhoidalium tumor, circulationis perturbatio in omnibus abdominis visceribus, unde cardialgiae, aliaque prodeunt foenomena; praeter modum intestinorum parietes distrahuntur ab aggestis faecibus et ab aëre, qui ad exeundum obstaculum invenit, proindeque acerbi dolores et etiam febrilis calor concitatur. Interdum in validis ad expellendas faeces conaminibus contingunt haemorrhoidales fluxus, herniae, prolapsiones, haemoptysis, apoplexia.

§. 1279. Caussa proxima coprostaseos est morbosa faecum aggestio. Ad hunc affectum disponunt temperamentum debile, et phlegmaticum, aut sanguineum et siccum; provecta aetas; vita sedentaria. Inquit Haller loc. cit. = Caussa primaria alvi segnis videtur esse diminuta irritabilitas: hinc segnis in phlegmaticis, melancholicis, semifatuis, mentem non advertentibus, ebriosis, a vehementi animi affectu, demum quibus intestina adeo callosa, ut vix purgantia pharmaca percipiant. Hinc in colica pictonum alvus durissima. = Verum non semper caussa in diminuta, sed potius in au-

cta irritabilitate consistere videtur, ut accidit in temperamentis plethoricis. Caussae autem excitantes sunt qualitas frigida et sicca aëris ; alimenta dura, sicca, austera, viscosa ; nimis exigua potio ; abusus spiritus vini ; adstringentia pharmaca ; admodum protractus somnus, aut diutinae vigiliae ; ignavia aut immodica exercitatio ; quarundam substantiarum metallicarum tractatio, maxime plumbi ; languidus motus, atonia, insensibilitas, aut nimia sensibilitas, et irritabilitas intestinorum ; defectus bilis, succi pancreatici, muci intestinalis ; avida vasorum lymphaticorum absorptio ; neglecta desidendi necessitas ; calculi intestinorum, aut cumulata fructuum ossicula ; insolitae flexurae coli ; crassities et callositas intestinalium tunicarum ; complicationes, introsusceptiones, compressiones intestinorum ; etc. Quandoque suppressio ventris est symptoma affectionis hystericae, vel hypochondriacae ; obstructionum viscerum abdominalium ; paralysis intestinorum, interdum a cerebri et spinalis medullae vitiis inductae ; gestationis ; scirrhi, et cancri uteri ; tu-

morem vaginae, et ipsorum intestinorum; horum vitiosae structurae, quae modo connata est, modo a praegressa aegritudine genita; diversarum herniarum; distentionis vesicae urinariae; febrium varii generis.

§. 1280. Si caussae leves sunt, prognosis felix est; contra si graves, quae nec removeri, nec subigi possint. Interdum vero efficit natura quod artis ministerio obtineri non potest. Curabam hominem provectae aetatis, qui ab aliquot annis molesta alvi segnitie propter defectum bilis laborabat, et gravia comparuerunt symptomata; sed praeter spem restituta bilis secretione, faeces naturali tingebantur colore, facile per intestina progrediebantur, et absque dolore et nixu excernebantur, ut inde perfecta sanitas sequuta sit. Etiam hujusce morbi symptomata interdum sunt parvi momenti, interdum gravia, et interdum lethalia, ut colicae, enteritis, febres, ileus, vasorum ruptiones, haemoptysis, apoplexia, et in foeminis vaginae prolapsus. Haller loc. cit. aliorum observationibus proprias addidit ad demostrandum periculum, in quod alvi se-

guities nonnunquam conjicit. Et ubi haec affectio symptomatica est, ejus gravitas primariis morbis respondet; sed hos interdum auget, gravioresque reddit. In quadam virgine triginta circiter annorum febre gastrico-nervosa detenta inemendabilem alvi segnitiem observavi, quae drasticis validioribus obstitit; hinc morbo ampliore reddito, maturius obiit. In alia muliere uteri cancro conflictata tanta erat alvi durities, ut faeces, nisi chirurgica manu, excerni non possent, et ab illa tam augebantur dolorum tormenta, ut aegra correpta spasmis miserrime occubuerit.

§. 1281. Curatio alia generalis est, alia specialis. Prima accuratis diaetae regulis continetur, ideoque modica sit corporis exercitatio; victus digestu facilis, humidus, lubricans, ut carnes vituli, aut pulli, olera, fructus dulces et aquosi; butyrum recentissimum; et in quibusdam rudior et nigricans panis ad promovendas egestiones aptus est. Inquit Celsus lib. Prim. III. 55. = Qui dejicere vult, primum cibis vinisque utetur iis quae hoc praestant; dein si parum illa proficient, aloen sumat. Sed purgationes

quoque, ut interdum necessariae sunt, sic ubi frequentes sunt, periculum afferunt. Assuescit enim non ali corpus; cum omnibus morbis obnoxia maxime infirmitas sit. = Ubi igitur parum proficiunt alimenta, aliquod remedium alvum movens utile est, ut pulpa cassiae, rhabarbarum, aloe, cremor tartari, pilulae gummosae, ut illae Gorter, quas refert Burserius, et quae componuntur ex duabus drachmis gummi ammoniaci et aequali dosi salis polychresti, drachma gummi sagapeni, scrupulo diacrydii, cum sufficienti quantitate balsami peruviani. Harum pilularum scrupulus detur in die. Sic olim erant in usum pilulae de ammoniaco Quercetani; tartareae Bontii; et aliae hujusmodi. Praeterea utiles sunt fotus, balnea calida, clysteres, balanus; et interdum juvat nudos pedes terrae opponere. In infantibus, qui ab ortu dispositionem ad alvi duritiem nacti sunt, opem ferunt frictiones, quae manu calida in abdomen fiunt; unctiones cum unguento de arthanita majore circa umbilicalem regionem. Ipsis etiam utiliter datur mel, aut aliquis syrupus, ut ille florum persicorum,

aut cichorei cum rhabarbaro. Pro pueris ratio simplicior praestat, nec tam saepe adhibenda sunt medicamina, quorum continuus usus auget malum, et intestina insensibilia reddit, ut animadvertit Rosenstein. Ubi autem cognoscitur coprostaseos caussa, in hanc aptentur remedia. Si itaque caussa sit inertia, aut defectus bilis, praecipue subveniunt eccoprotica, saponacea, gummosa, ut sapo venetus, rhabarbarum, bilis bovilla, pilulae gummosae, etc; si fibrarum intestinalium torpor, conveniunt rhabarbarum, pilulae martiales Lemery, aquae minerales salino-martiales, stillicidium in abdomen; si nimia intestinorum irritabilitas, proficiunt oleosa, balnea calida simplicia, aut emollientibus decoctionibus parata, clysteres quoque emollientes, victus vegetabilis; si animi pathemata, danda opera est, ut restituatur quies. Cum autem alvi segnities symptomatica, curandi ratio est quae in morbos primarios expedit; sed quia interdum hujusmodi morbi inemendabiles sunt, sic haec symptomatica affectio superanda non est.

GENUS QUINTUM

Amenorrhoea.

§. 1282. Si pubertatis tempore foeminae periodico menstruorum fluxu non gaudeant, ut plurimum earum laeditur sanitas. Raro enim sanae vivunt quae aut nunquam habuerunt menstrua, aut praeparca, aut ante tempus amiserunt. Ante pubertatem generationis organa non instruuntur, nisi illo vitalitatis gradu, qui ad eorum nutritionem sufficit; sed dum accedit haec vitae periodus magis actuosa fiunt, illudque incitamentum ad foecunditatem necessarium adipiscuntur, et uterus evadit centrum fluxionis sanguineae, ex qua menstruorum secretio proficiscitur, et quae tempore gestationis foetus nutritioni prospicit. Ob multiplices caussas modo ocyus modo serius advenit pubertas, ut per influxum climatis, corporis habitus, vitae generis, physicae et moralis institutionis, quorundam alimentorum et potionum, etc. Maxima vero est et constans climatis

actio ; nam apud gentes , quae inter tropicos incolunt , menstruatio accedit inter nonum et duodecimum annum ; apud nos inter duodecimum et decimum sextum ; et apud septeutrionales populos inter decimum sextum et vigesimum. Etiam per easdem caussas varia est sanguinis periodice fluentis quantitas. Cessat menstruorum cursus quadragesimo quinto , aut quinquagesimo vitae anno ; sed id quoque perpetuum non est ; nam nunc citius nunc serius deficiunt menstrua , quae aliquando usque ad sexagesimum annum persistunt. Generatim quo maturius erumpunt , eo promptius desinunt. In gravidis et nutricibus secundum naturae institutum desunt. Sanguis enim qui dum uterus vacuus est periodice profluit , dum foetum gerit , hujus nutritioni inservit ; tempore autem lactatus ad mammas propter lactis secretionem transilit. Tamen sunt praegnantes quae per aliquot menses , et interdum per totam gestationem habent menstrua; et aliae fuerunt , in quibus nunquam , nisi tempore gestationis menstruorum sanguis defluxit. Sunt quoque nutrices , quae non per-

dunt menstrua; aut haec iterum nanciscuntur, exacto vix lactatus anno. In valentioribus mulieribus, et sanguine plenis, non raro utraque secretio, lactis scilicet et menstruorum, earumque sanitas, ut et illa pueri felix est. Hanc ob rationem confirmatum est quod Hippocr. dixit, lac mulierum, quae habent menstrua, magis esse sanum. Rationi autem et experientiae alienum est, quod a veteribus de vitiosa, et virulenta menstruorum indole dicebatur; convenit ideo inter recentiores physiologos, menstruorum sanguinem esse purum, et ab actione secernenti uteri elaboratum. In sanis enim mulieribus, et boni corporis habitus, quae partium genitalium munditiem custodiunt, hic sanguis non foetet, convenientem densitatem habet, nec impurus esse videtur. Tamen fatendum est, interdum in mulieribus etsi sanis et mundis menstruorum saguinem innocuam indolem non sistere, ut peculiari foetore deducitur, quem purus sanguis non emittit. Densitas autem et color hujusce sanguinis ob diversam aetatem in statu perfectae valetudinis non semper idem est.

Etenim in puellis est magis solutns, et decolor; in juvenibus est apte densus, et coloratus; in aetate procedentibus densior, et ater. In mulieribus autem adversae valetudinis, in illis quae necessariam munditiem negligunt; et dum sanguis in uteri cavitate, et vagina consistit, menstrua labuntur nunc soluta, nunc densa, nunc picis instar spissa et atra. Cum mulier quadraginta annorum theumatica et catarrhali affectione pertinaciter urgebatur, menstruorum sanguis adeo foetidus manabat, ut nemo eam adire potuerit, et ipsa met per aliquot dies nauseam, cibi fastidium, et vomitum toleraverit.

§. 1283. Cum tempore a natura praefinito aut non exiliunt menstrua, aut imminuuntur, aut supprimuntur, illa constituitur morbosa affectio, quae dicitur amenorrhoea, et ab aliis menostasia. Sed ut vere sit morbosa affectio, necesse est ut aliqua afferat pathemata, sicut plerumque contingit. Non solum enim sanae fuerunt mulieres, quae nunqnam habuerunt menstrua, sed etiam quae eis orbatae uterum tulerunt;

et aliae sunt, praesertim puellae, in quibus menstrua praeparca, decolorata, et aquosa stillant; et aliae, quae cito illis privantur, absque ullo salutis incommodo. P. Franch in clinic. instit. Papiens. observavit matrem trium natorum, quae nec menstrua, nec lochia unquam habuit; aliasque tres mulieres in quibus post iteratum partum fluxerunt lochia, sed nunquam menstrua. Ejusmodi mulieres fere sunt, quae a medicis appellantur viragines, quia eorum corpus aliquo modo virili simile est; quamvis apud latinos scriptores virago mulier animi fortis et virilis audit. Interdum menstrua desunt, sed sanguis ab aliis partibus egreditur, ut a naribus, ab haemorrhoidalibus vasis, ab illis pulmonum, intestinorum, ventriculi, ab urinae organis, et secundum auctorum observata, etiam a lacrymarum viis, ab oculis, ore et gingivis, auribus, cute, mammis, umbilico. In hisce vero casibus difficile conservatur sanitas. Saepe in puellis menstruis destitutis obtingit epistaxis; sed hoc etiam vicario fluxu non desunt chlorosis symptomata. In juvenibus sine

menstruis, exit saepe sanguis a pulmonum vasis ; et licet interdum non sequantur mala , et deinde ordinatim appareant menstrua, interdum tamen consumptio et phthisis advenit. Item modo summa debilitas , modo viscerum inflammatio , modo hydrops , modo cutanea mala superveniunt.

§. 1284. Plura sunt nomina et divisiones amenorrhoeae quas instituunt Nosologi. Quaedam vero supervacuae sunt, et linquendae. Si menstrua consueto tempore non compareant, haec amenorrhoea dicitur menstruorum retentio ; si post inceptum periodicum cursum supprimantur , suppressio ; si menstruorum fluxus sit praeparcus, stillativus, dolens , diutinus, amenorrhoea stillatitia. Haec vero distinguenda est a difficili menstruatione virginibus familiari , quae dum propendent ad venerem , bene moratam et incorruptam vitam gerunt. Quaevis sit amenorrhoea , aut primaria , aut symptomatica , aut secundaria est. Etenim aut nascitur a caussis , quae directe perturbant vel impediunt periodicam menstruorum secretionem ; aut ab uteri et partium genitalium morbis, aliisque

vel acutis vel chronicis ; aut a praegressis morbosis affectibus. Cum amenorrhoea primaria est, in hypersthenicam, et hyposthenicam dividitur. Prima ab excedenti vigore, et nimio cordis stimulo; altera a defectu virium, et inopia sanguinis proficiscitur.

§. 1285. Aliquod incommodum praegredi solet menstruationem, maxime in puellis, in quibus haec incipit; et in mulieribus, in quibus per provectam aetatem ad discessum vergit. Apud puellas turgent et dolent mammae; oculi circumdantur caeruleo ambitu; caput dolet; mutatur vox; respiratio, et digestio perturbantur; prodeunt in facie cutaneae eruptiones, et in aliis partibus maculae subflavae; spiritus hilaritatem, et corpus alacritatem amittit. Haec vero paullatim non amplius vexant, quia uterus periodicae menstruorum secretioni assuescit. In mulieribus provectae aetatis irregularis fit menstruatio, quam saepe praecedunt et comitantur vehementes abdominis dolores, cardialgiae, vomitus, inappetentia, affectiones convulsivae; et haec symptomata fere cessant, dum ex toto menstruatio desistit. Quae-

dam mulieres ab expositis symptomatibus affliguntur, quin menstruatio succedat, aut haec praeparca est et dolens. Tum alia contingunt foenomena, quae amenorrhoeam constituunt. Si haec primaria est, aut in retentione, aut in suppressione menstruorum consistat, symptomata parum differunt. Haec sunt faciei turgidulae pallidus color, subviridis, cinereus, cereus, lividus; languentes oculi, sed scleroticae color servatur albus; labia, et gingivae decolorantur; urget dolor capitis, lumborum, abdominis, coxarum; pulsus fere debiles et celeres; debilitantur extremitates inferiores, tumescunt palpebrae, maxime post somnum, et saepe flexo in vesperam die manus et pedes etiam tument et frigent; a quavis contusione, etsi levi, statim apparent cutanea ecchymomata; eruptiones vultum temerant; ubera turgent; a quovis corporis motu prompta defatigatio; proclivitas ad otium, solitudinem, moerorem, lacrymas, amorem, iracundiam; ab animi affectibus fugaci rubore tinguntur genae; spiritus gravis, et palpitatio cordis, maxime in clivorum vel scalarum

ascensu; arteriarum colli et temporum pulsationes, quae sub oculorum sensum cadunt; somni ab imagiuibus, quae mentem agitant, et ab oppressione spiritus, interrupti; nausea, ructus, conatus ad vomitum et vomitus ipse materiei mucosae, acidae; anorexia, dyspepsia; oscitationes; borborygmi; cardialgiae; lipothymiae, maxime flexis genibus; vertigines; aurium tinnitus; distensio ad nucham; urinae copiosae, inodorae, turbidae; saepe è vagina serosus effluit humor; pica aut malacia, et dum augetur depravatus rerum absurdarum appetitus, ut sunt acida, acria, ruderes, terra, creta, carbones, cinis, meliora alimenta in odium veniunt; aggeruntur gastricae sordes, ut ab oris amaritie, sordida et alba lingua, tumore et dolore ventriculi, alvi compressione colligitur; tandem ubi nec per naturae, nec per artis opem superatur morbus, supervenit lenta febris, consumptio, et mors. Haec sunt, quae in puellis menstruorum retentione laborantibus frequenter occurrunt. Ab his autem symptomata menstruorum suppressionis propria, quae in mulieribus con-

tingit, parum dissimilia sunt. Sed observandum est, mulieres hac suppressione detentas, obnoxias esse obstructionibus viscerum; uteri fartui; albo fluxui; haemorrhagiis, maxime a vasis haemorrhoidalibus, et ab illis pulmonum; dyspnoeae; asthmati; graviori passioni hystericae; hydropi; phthisi; febri lentae; doloribus, et inflationibus ventris; animi deliquiis; vertiginibus; apoplexiae. Examine autem caussarum et symptomatum amenorrhoeae cognoscitur, an ipsa hypersthenica, vel hyposthenica sit. Symptomatica denique, vel secundaria ab aliorum morborum signis distinguitur.

§. 1286. Praesertim apud puellas retentio, aut menstuorum suppressio constituit chlorosin, quae etiam dicta fuit icterus albus, febris alba, febris amatoria, cachexia virginalis, pallidus virginum color. Existimabant veteres, chlorosin esse symptomaticam affectionem a defectu menstruorum ortam; recentiores vero eam considerant ut essentialem morbum a menostasia productum, cui omnes expositos amenorrhoeae characteres tribuunt. Ergo mihi videtur recentiorum

chlorosis ab illa veterum non diferre. Sed deinde plures hujusce morbi statutae sunt species, ut illa infantum; gravidarum; provectarum; hominum; etc; quae non sunt, nisi symptomatici affectus cum virginum chlorosi minime confundendi. Chlorosis ex. gr. quae dicitur infantum et puerorum, in illis obtingit, qui physconia laborant; et cum sanguis necessariis condictionibus non polleat, apparent symptomata, quae illis chlorosis virginum similia sunt. Sic interdum primis tribus mensibus gestationis a nervorum uteri irritatione talia producuntur effecta, qualia in virginea chlorosi observantur; quae vero quartum circiter mensem evanescunt. Item pallidi colores, quos Sauvages chloroses spurias vocat, cum puellarum chlorosi immiscendi non sunt, utpote vermium, aut aliorum morborum effectus.

§. 1287. Cum amenorrhoea stillatitia est, perturbationes ventriculi, et nervosi systematis praecedunt. Haec consistit in secretione menstruorum praeparca, dolente, diuturna, interrupta. Sanguis fluens est aquosus, mucosus; torquent dolores capitis,

uteri, lumborum, coxarum; persistunt ventriculi, nervorumque pathemata, et interdum dum sanguis stillat, ingentes exercent spasmi, uterique cruciatus; tandem propter morbi diuturnitatem, et concomitantia symptomata, magna subsequitur virium infirmitas, et quandoque fluxus albus. Necesse autem est, hanc amenorrhoeae speciem a difficili menstruatione distinguere, quam plura molesta symptomata praegrediuntur, ut lumbago; dolores capitis, et hypogastrii; vertigines; spasmi; et interdum epileptici accessus; quae fluentibus menstruis perseverant. Hic vero menstruorum fluxus abundans est, et ut plurimum post tres aut quatuor dies cessat. Haec menstruatio dicitur difficilis ob spectabilia incommoda, quae ante menstruorum eruptionem, et hisce etiam fluentibus, praesto sunt. Virginibus plethoricis familiaris est, et semicupiis, balneis, sed praecipue connubio vincitur.

§. 1288. Si examinentur foenomena, quae retentionem et suppressionem menstruorum, atque praeparcam et stillatitiam menstruationem comitantur, clare patet, affici

uterum, vicinas partes, et illas quae cum utero sympatheiam habent. Cumulatur enim sanguis in uteri vasis; mox in illis vicinarum partium, unde nascitur ponderis sensus ad pubem, dolores lumborum, mictus dolens et difficilis, ani dolor, vasorum haemorrhoidalium turgor, et etiam ab hisce vasis sanguinis fluxus. Ab irritationibus autem uteri, ratione consensus, turbantur viscera, partesque propinquae, maxime ventriculus et intestina. Hinc vitiantur salivae, succi gastrici, appetitus, digestiones. Eo magis depravatur sanguinis crasis; in vasis cutaneis lympha praevalet, unde superficiei corporis color fit pallidus et cereus; et ob solidorum laxitatem textus cellulosus turget, potissimum ad pedes. Nervorum autem systema cum admodum sensile sit, a quacunque caussa, licet levissima, inordinate movetur. In exercitatione corporis, praecipue clivorum ascensu, spiritus fit gravis, palpitat cor; siquidem sanguis majori copia fertur ad pulmones, nec aequali facilitate ad cor sinistrum propellitur. Postremo ex vitiosa sanguinis crasi ortum habet ille internus calor,

et lenta febris, quae ducit ad consumptionem, et mortem.

§. 1289. Caussa proxima amenorrhoeae hyposthenicae est universalis debilitas, maxime vasorum uteri; hypersthenicae est universalis vigor, et nimia extremorum vasorum uteri rigiditas. Ad primam pronae sunt mulieres infirmi corporis habitus, et praeter modum sensibiles; ad alteram plethoricae, valentes, viragines. Excitantes caussae ut plurimum debilitantes sunt, ut inedia; deprimentes animi affectus; immodicus labor; institutionis physicae et moralis vitia; infelix amor; in amatorem non possessum assidua cogitatio; nimia obesitas, quia in pinguibus adest inopia sanguinis, qui fere in pinguedinem vertitur. Ex caussis autem sunt, quae fluentia menstrua continuo retinent, ut ira, timor, terror; actio frigoris in genitalia; balnea frigida pedum; pharmaca, aut adstringentes substantiae. Amenorrhoea vero symptomatica a multis morbis producitur, ut sunt febres; affectiones convulsivae; diatheses scrophulosa, rachitica, arthritica; vermes abdominales; uteri, partium genitalium,

aliarumque proximarum vitia, ut mala positio et structura uteri; ejus collum et os clausum, polypus, sarcoma, scirrhus, callositas, cicatrices; vagina in suis partibus, et in ejus orificio adhaerens, et clausa; conjunctio labiorum vulvae; in virginibus imperforatus hymen; saccati tumores inter vaginam et rectum; etc. Scriptores inter caussas ponunt etiam dentium cariem, quae interdum excitat spasmos, ex quibus tam constringuntur uteri vasa, ut ex his delabi non possit sanguis. Amenorrhoea secundaria ut plurimum morbos excipit, qui aut per nimias exinanitiones, aliasve caussas ingentem virium imbecillitatem relinquunt.

§. 1290. Apud puellas menstruorum retentio a sola atonia producta, prompta curatione plerumque subigitur. Subinde tamen resistit remediis; ejus caussa, et effectus augentur; obstruuntur viscera; consequuntur hydropes; et lenta febre terminatur. Si caussa hujusce retentionis sit ardens desiderium veneris, facile accedit melancholia, delirium, nymphomania. Timendum est, si natura sit iners, et inveterascat morbus;

siquidem perimitur humorum crasis, et inde profusae narium haemorrhagiae, hydropes, et febris lenta succedunt. Contra sperandum est, si natura non sit ignava, ut a foenomenis deprehenditur, quae menstruationem praegredi solent; et cum adhibitis convenientibus auxiliis delabi incipiant menstrua. Si autem amenorrhoea in suppressione menstruorum consistat, quae a nimio vigore proveniat, ut plurimum expedite vincitur, si sanguinis emissiones, et opportunum regimen usurpetur. In hoc casu plerumque minus graves consecutiones sunt; sed interdum periculosae, ut icterus, hydrops, viscerum inflammatio, apoplexia. In mulieribus provectis, valentibus, plethoricis, splendide viventibus, cum cessatura menstrua imminuuntur, adeo augetur plethora, ut nisi auferatur, inflammationum, aliorumque gravium morborum caussa esse possit. Amenorrhoea stillatitia plura affert incommoda, et utpote diuturna, et hysteralgia, ac spasmis consociata, frangit vires, nec curatu facilis est. Si in defectu menstruationis aliqua contingat vicaria secretio, pro loco

ex quo exilit cruor, sunt plus vel minus reformidandi effectus. Generatim periculosum est, hujusmodi secretionem retinere; sed sollicite ad propriam sedem menstrua revocanda sunt. A primariis denique morbis amenorrhoeae symptomaticae vel secundariae eventus praenoscitur. Secundum enim eorum naturam modo emendabilis, modo inemendabilis amenorrhoea est, ut saepe evenit, si a vitiis uteri, et partium genitalium dependeat.

§. 1291. Si amenorrhoea sit hyposthenica, removendae sunt caussae, et adhibendum est diaeteticum regimen, et medicamina, quae solidis, praesertim fibris et vasis uteri restituant vigorem, et faciant, ut sanguis partibus rubris inops, et sero redundans ad necessarias proportiones redeat. Ergo bona alimenta danda sunt, quae facile concoquuntur; servanda est animi quies; purus respirandus aër; apta corporis exercitatio praecipiatur; tonica adhibeantur remedia, ut cortex peruvianus; radix gentianae; infusiones croci; vinum cum absinthio paratum; ferri praeparationes; aquae ferrugineae; balnea

tepida, praesertim ex aquis sulphurosis; stillicidia. Saepe ante prandium utilem reperi mixturam ex limatura chalybis, cinnamomo, et croco compositam. Sed plura observanda sunt. Frequenter sese offerunt gastricarum saburrarum, et aciditatis ventriculi symptomata, et tum conveniunt purgantia mitia, et absorbentia, praesertim aloe, et calomelanus, ex quibus uteri vasa possunt incitari, et magnesia. Etiam ob nimiam sensibilitatem non raro aggrediuntur spasmi, in quos opiata et antispasmodica valent, ut liquor anodynus min. Hoffm; tinctutura castorei; laudanum liq. Syd; clysteres ex simplici decoctione chamomillae, aut cum laudano liquido, balnea calida. Et quoniam necesse est vasorum uteri actionem movere, ut sanguis ad haec vasa transferatur, prodest equitatio, et vectio in rheda per saxosum iter; pediluvia, et vapores ad genitalia immissi; et hisce hirudinum applicatio. Nescio quare Alibert hirudines damnet, quae ad revocanda menstrua constanter utiles reperiuntur, praecipue cum a spasmis uteri vasa adimplentur sanguine. Nec omittenda sunt semicupia tepida, et emollientes fotus, si tendatur hy-

pogastrica regio. Quaedam sunt puellae, quae vix aliquam patiuntur molestiam dum remorantur menstrua ; et tum curatio simplex esto, et ad menstruationem adjuvandam idonea. Proficiunt igitur regulae diaeteticae ; abstinentia a potionibus frigidis ; ab aëris vicissitudinibus declinatio ; infusiones capilli veneris et croci ; lac asininum ; deinde ferrum. Generatim pro chloroticis virginibus, praesertim si in venerem rapiuntur, conveniunt nuptiae, quibus et adipiscuntur menstrua, et ex facili concipiunt. Si autem amenorrhoea hypersthenica sit, conducunt venae sectiones, applicatio hirudinum ad verendas partes, maxime si uteri plethora evidens sit; levia purgantia ; animi quies ; emollientes unctiones, et fotus ad regionem hypogastricam; semicupia, balnea tepida; vapor aquae calidae ad genitalia directus ; clysteres. Eadem praecepta in amenorrhoeam stillatitiam, quae tam in puellis, quam in provectioribus contingere solet, tenenda sunt. Ergo si haec amenorrhoea mulieres infirmas corripit, et ejus caussa est universalis et partialis uteri atonia, victus sit nutriens, et digestu fa-

cilis; remedia sint tonica, et quae menstruorum cursum expediant, ut frigida infusio peruviani corticis, aut illa quassiae amarae; decoctio marrubii, dictami albi, radicum aristolochiae, rubiae tinctorum; praeparationes martiales; pediluvia, semicupia, balnea, vapor aquae calidae ad genitalia; modica corporis exercitatio, praesertim equitatio. Inter autem remedia in hanc amenorrhoeae speciem maximopere celebratur aloe chalybeatis et gummi ammoniaco juncta. Omnes recentiores in emmenagoga conspirant, ut sunt sabina, colocynthis, helleborus niger; siquidem raro juvant, et saepe nocent. Si contra amenorrhoea stillatitia contingat in mulieribus robustis et perpastis, convenit emissio sanguinis a pede, tenuis victus, potiones aquosae, aliquod leve purgans, clysteres, fotus, semicupia, balnea. Sed si infirmantur vires, augendus est victus, et adhibenda auxilia, quae pro re nata possunt subvenire. In provectioribus autem cum menstrua imminuuntur et cessant, si ipsae validae sint et opipare enutritae, ut evitentur mala, quae a nimio sanguine veniunt,

secetur vena, et parciora dentur alimenta; sed si debiles, satis est eas dirigere quoad vivendi rationem. Si sub menstruorum suppressione aliqua succedat vicaria sanguinis secretio, danda opera est, ut iterum menstrua a vasis uteri secernantur. Apud textrices, in quibus aut desunt, aut paullula sunt menstrua, sputum sanguinis periodicum frequens est, propter assiduum brachiorum motum, quo ad interiora pectoris pertrahitur sanguis. Pro his saepe sufficit, texendi artem relinquere. Tamen dum menstruationis propinquat tempus, utile est genitalibus hirudines admovere, et etiam venam pedis aperire, et pediluvia, frictiones ad inferiores extremitates, ut fotus ad verendas partes non praetermittere. Differt autem curatio dum amenorrhoea symptomatica est vel secundaria. Ubi in caussa sunt uteri et partium genitalium vitia, horum curatio aut ad chirurgiam spectat, ut si in uteri orificio, aut circa hoc adsint excrescentiae, quae variis modis auferri possunt; labiorum vulvae cohaerentia; imperforatus hymen: aut ad medicinam et chirurgiam, ut sunt uteri

ulcera a viro venereo nata, ad quae tractatio antivenerea, et mercurii administratio prodest. Non raro vero infructuosa auxilia sunt, ut si amenorrhoea a duritiis vel cicatricibus internae uteri superficiei nascatur.

GENUS SEXTUM

Lochioepischesis.

§. 1292. Lochia, λόχεια, λόχια, alias purgamenta, dicuntur quae ab utero post exclusum foetum, et secundinas prolabuntur. Sed horum fluxus est praecipue effectus separationis placentae ab ipso utero. Excedit hinc prius copiosus et purus sanguis, qui mox imminuitur et densatur; circa tertium aut quartum a partu diem evadit cruentus humor, et tandem puriformis. Cum hoc modo abstergatur uteri superficies purgamentorum nomen obtinuerunt lochia. Inquit Hippocr. lib. I. de morb. mulier. cap. XCVIII. = Prodeunt autem velut sanguis è victima, si sana sit mulier, et sana

futura sit, et cito coagulantur, et purgantur = Retentio itaque lochiorum est variorum morborum caussa, et recte appellanda mihi videtur lochioepischesis. Si lochia paullo post partum in puro sanguine consistant, foetida non sunt; sed mox odorem specificum adipiscuntur. Si vero ob aliquam caussam libere non exeant, et in utero stagnent, propter accessum aëris, et calorem loci vitiantur, et foetent. Dum autem mulier sana non est, nec sana futura est, deterioris notae lochia sunt, ut lib. de nat. pueri cap. XII. ita adnotat Hippocr. = Si vero mulier sana non est, neque sana futura est, purgatio paucior procedit, et specie deterior, et non cito congelatur. = Lochiorum fluxus est plus vel minus abundans, et persistens. Haec enim modo per paucos dies, modo usque ad vigesimum, trigesimum, quadragesimum diem, et amplius fluunt; quod quidem a vario corporis habitu, vitae genere, aliisque circumstantibus rebus dependet. Mulieres robustae, laboris patientes, sobrie viventes, ut rusticae, pauciora habent lochia; contra desidiosae, et perpastae. Quae ubera puero ad-

movent, quia major humorum vis ad ea confluit, generatim pauciora emittunt lochia, quam lac non praebentes. Quae etiam praeparcis instruuntur menstruis, praeparca habent lochia, et viceversa. Interdum obvenit, quod lochia post praegressos partus abundantia, post alium partum parciter fluunt. Obvenit etiam, quod dum haec deficiunt, aliqua vicaria secretio supplet, ut sanguinis fluxus è naribus, aut haemorrhoidibus; alvus soluta; sed hujusmodi casus frequentes non sunt. Cum igitur lochiorum quantitas praefiniri non possit; et modo illa praeparca sint, modo deficiant, quin laedatur sanitas; ut imminutio, aut defectus lochiorum morbosus sit, oportet, adesse caussas, et morbosa foenomena. Et quoniam morbosa illorum retentio nunc nascitur a caussis, quae potissimum actionem exercent in uterum, et ab hujus vasis sanguinis exitum impediunt, aut faciunt, ut sanguis non effluat et in uteri cavitate consistat; nunc ab aliis morbis; hinc modo ut primaria, modo ut symptomatica habenda est. Videamus itaque quae

sunt caussae, et symptomata, quae lochiorum retentionem morbosam esse declarant.

§. 1293. Cum haec retentio primaria est, symptomata varia sunt, et plus minusve gravia, secundum diversas caussas, et prout vel a defectu fluentis sanguinis post placentae sejunctionem, vel a sanguinis collectione in uteri cavitate nascitur. In universum vero aggrediuntur rigores; febres; respirandi difficultas; faciei rubor; lumborum, inguinum, regionis hypogastricae dolor; viscerum inflammationes; haemorrhagiae; diarrhoeae; convulsiones; paralyses; et interdum apoplexia. Et quoniam saepe lochia prolabi nequeunt propter obliquam uteri positionem, tum alia occurrunt signa, quae lib. II. de morb. mulier. ita descripsit Hippocr. = Si ex partu uteri in dextram obversi fuerint, puerperii purgamenta non exeunt, dolor imum ventrem, lumbos, et ilia detinet, crus dextrum gravatur, et torpor occupat, et non tremit, et osculum uterorum contingere non potest, sed ipsos leves ac fortiter planos deprehendet. = Deinde in eodem capite = Si uteri ad sinistram partem, aut

coxam declinaverint, dolor acutus ac vehemens habet lumbos, et laterum mollitudines ac ipsum crus, et claudicat. = Veteres ad viscerum inflammationes, aliaque exponenda symptomata, quae a lochiorum retentione proficiscuntur, ponebant metastases, quae a recentioribus ut futiles hypotheses existimantur. Dubitandum vero non est, quin inflammari possint viscera, si post separationem placentae sanguinis fluxus ab uteri vasis impediatur, quia major illius quantitas ad viscera transilit. Sic certum est, maximo puerperarum detrimento interdum absorberi lochia, cum per aliquam caussam in cavitate uteri consistant, et vitientur. Cum autem lochiorum retentio symptomatica est, manifestantur signa primarii morbi; ut si ab uteri inflammatione nascatur, metritidis signa evidentissima sunt.

§. 1294. Duplex est caussa proxima hujusce retentionis, scilicet aut impeditus sanguinis fluxus ab uteri vasis, aut impeditus sanguinis exitus, qui inde in uteri cavo stagnat. In utroque casu plures esse possunt caussae remotae, ut vehementia animi pathe-

mata; spasmi, qui ab odoribus excitantur; usus substantiarum dulcium, et irritantium; frigidae potiones; actio frigidi aëris in genitales, aliasque corporis partes; fasciae, quae arcte constringunt ventrem; post partum nimis cito è lecto surgere; orificii uteri contractio; obliqua hujus visceris positio, in qua orificium recta vaginae non respondet, unde lochia prolabi nequeunt; collectio faecum in recto intestino; placenta, aut grumi sanguinis, qui circa uteri orificium consistunt; etc. Symptomatica vero lochiorum retentio nonnunquam producitur ab uteri inflammatioue; vel a laborioso, aut artificiali partu; vel a placenta inconcinniter avulsa; vel ab affectione hysterica; vel a febribus varii generis; vel ab uteri, et vaginae prolapsione; vel ab herniis; vel ab aliquo tumore, qui uterum aut vaginam comprimat.

§. 1295. Ex foenomenorum descriptione colligitur, quam saepe lochiorum retentio periculosa est. Sed timendum non est, si caussae et symptomata levia sint; si suppleat vicaria secretio; si lochia post alios partus

semper pauca fuerint; si post suppressionem haec prompte redeant, et incommoda, quae apparuerunt, evanescant; si sub partu copiosus fluxerit sanguis. Oportet vero animadvertere, non semper morbosa foenomena statim comparere; et interdum quae in initio mitia videbantur, mox graviora fieri. Contra agitabimur metu, si caussae et symptomata gravia sint, ut febres mali moris, viscerum inflammationes, etc; et ubi mors non supervenit, sequuntur mala discrimine plena et saepe incurabilia, ut tussis pertinax, asthma, suppurationes pectoris, deliria, surditas, caecitas. Aliquando inter symptomata occurrit diarrhoea, quae modo utilis est, modo periculosa, prout symptomatica est, vel critica. Illa antea et postea lochiorum suppressionem contingit, et admodum deprimit vires. Dejectae materiae sunt nigricantes, serosae, mucosae, sanguineae; minuitur urinarum secretio; appetitus, et somnus adimitur; torquet sitis; intumescit abdomen; et dum ardor internas partes urit, externas occupat frigus. Haec autem circa quartam puerperii diem, aut postea apparet, et

insigne offert levamen. Lochia non supprimuntur; absolvitur urinarum secretio, licet aliquantum extenuatur; mollescit abdomen; egestae materiae speciem pultis offerunt, et sunt luteae, vel albicantes, aut flavescunt et albescunt; quietus est somnus; adest appetitus; pacatus pulsus. Praesagitio autem retentionis lochiorum symptomaticae ab examine primarii morbi statuitur.

§. 1296. In quavis puerpera sollicite amovendae sunt caussae, etsi levissimae, quae lochiorum retentionem inducere possunt. Maxima enim in puerperio sensibilitas est, praesertim si mulieres jam sensibiles sint, et graciles, et affectionibus convulsivis obnoxiae. Quamobrem praecipiatur animi et corporis quies; silentium languida lux; fuga ab aëre frigido, a fasiis ventrem constringentibus, ab odoribus; et dum alvus comprimitur, aliquis clyster. Victus primis diebus consistat in jure carnium, et levissimis pulmentis; potio sit copiosa et egelida, ut aqua cui tostus panis infundatur: deinde pulli et vituli carnes concedantur. Praeterea puerpera nimis cito è cubili non surgat. Suadebat Sy-

denham non ante decimum diem; alii non ante duodecimum lectum linquere, quamvis id statui non possit. Mulieres enim robustae laboriosae, rusticae tam longo decubitu non egent; dum longiori tempore debilibus, gracilibus, et vitam desidem et sedentariam degentibus opus est. Si autem noceat puerperis ante necessarium tempus lectum deserere, eo magis nocuum erit primis puerperii diebus laboribus, operibusque defungi. Inquit Hippocr. lib. II. de morb. mulier. cap. XLIII. = Quum mulier recens enixa, onus majus quam pro natura levarit, aut timuerit, aut ligna secuerit, aut cucurrerit, aut alia quaedam hujusmodi fecerit, uteri excidunt ob haec maxime: = Etiam in puerperio advertendum est, ne foedatis linteaminibus humida et frigida substituantur. Si hisce adhibitis diligentiis, tamen lochiorum retentio contingat, pro diversa caussarum natura curatio instituenda est. Ergo inutilis questio est, an sanguinis missio conveniat; nam interdum necessaria, interdum damnosa est. Si enim perperam secetur vena, lethale esse potest, ut apparet ab historia a Syde-

nham commemorata Diss. Epistolar. pag. 149., quam ad juventutem edocendam referam = Nuper matrona, tam natalibus, quam moribus honestis ac probis, me sibi medicum volebat: huic ex modo dicta occasione statim a partu paroxysmis hystericis affectae, lochia penitus defecerant. Curabam medicamentis supra memoratis eadem proritare, at frustra, affectione hysterica vehementiore omnem opem medicam respuente. Unde dum ita demum eam salvam fore praeviderem, si nihil prorsus molirer, rem omnem tempori, medicorum facile principi ac coryphaeo, committendam censui. Hoc meum consilium ad diem usque decimum quartum optime illi cessit; quotidie enim illam invisens, nullo die eam in pejore loco, quam pridie fuerat, deprehendi. Post hunc mulierculae adstantes, quas hactenus a noxa illi sub officii specie inferenda aegre arcueram, maritum impellebant, ut sine mora sanguinem e pede uxori extrahi curaret: quo facto, paroxysmi hysterici ita invalescebant, ut intra paucas horas spasmi accederent, et non ita diu postea, aerumnarum requies, mors. = Sanguinis mis-

sio semper nocua est, cum maxima adest virium infirmitas, et caussae debilitantes sunt. Tum enim fulciendae potius et incitandae sunt dejectae vires, quod praecipue fit jure, animi quiete, et etiam pauxillo vini, et ubi creditur utilis vesicantium applicatio femoribus. Si contra validum sit puerperarum temperamentum; si hae sint opipare enutritae; si ad inflammationem uteri proclives sint; si lochiorum retentio a nimia vasorum repletione proveniat, omittenda non est venae sectio, et hirudines partibus verendis admovendae, victus tenuissimus. Eo magis necessariae sunt sanguinis missiones, si appareant inflammationis signa. Insuper conveniunt unctiones, fotus, vapores, clysteres emollientes, ut relaxentur partes, et fluxui lochiorum faveatur. Si lochiorum retentio nascatur a spasmis, qui praecipue ab animi pathematibus excitantur, non semper auxiliantur antispasmodica ejusdem naturae. In mulieribus enim pletorici corporis habitus, nec opium, nec ex eo composita adhibenda sunt; sed quae absque stimulo sedant; contra in mulieribus debilibus, admodum sensibili-

bus, hysterica passione laborantibus prudenter et opium, et opiata usurpari queunt. Si ab actione frigoris, praesertim in partes genitales, non solum retineantur lochia, sed etiam inflammetur uterus, sine mora mittendus sanguis est, et alia supra exposita auxilia linquenda non sunt. Sic examinandae sunt caussae, quae lochia retinent in cavitate uteri. Si placenta hujus visceris orificium obsepit, haec est abducenda: si illud occludunt grumi sanguinis, hi emollientibus injectionibus resolvendi sunt: si cumulatae faeces in recto intestino, dentur levia purgantia, et clysteres injiciantur: etc. Si inter symptomata adsit diarrhoea, distinguendum est, an utilis sit, et minime inhibenda, an nocua, et vere symptomatica. Hanc etiam coercere tutum non videtur, ne, ut inquit Van-Swieten, retineantur in corpore pravae materiae. Sed potius sustentandae sunt vitae vires, et exhibenda diluentia lenia, quae, ut monet cit. auctor, urinae et sudoribus vehiculum praebent. Si denique lochioepischesis symptomatica sit, in primarios morbos sive generales, sive locales, disponatur curatio.

ORDO QUARTUS

Retentiones substantiarum heterogenearum.

GENUS PRIMUM

Vermes.

§. 1297. In omnibus ferme corporis partibus vermes incolunt, specie et forma dissimiles. Sed quia frequentius intestina tenent, pleraque practicorum pars de praecipuis vermibus intestinalibus tantum sermonem habet. Cum vero nostris temporibus alia genera et species vermium cognoscantur, non possumus ad solos intestinorum vermes animum appellere. Nec amplius tenenda est illa nimis generalis divisio in vermes intestinales, et illos qui alias corporis partes occupant. Necesse igitur est aliquod sequi helminthologicum systema, ut necessaria quae ad vermes spectant ordinatim dicantur. Ego itaque illud celebratissimum Rudolphi sequar, in quo statuuntur quinque vermium ordines, nimi-

rum nematoidea, acanthocephala, trematoda, cestoidea, cystica. De hisce igitur vermibus breviter loquar, exceptis acanthocephalis, qui humanum corpus non habitant. Et quoniam in exercenda praxi mihi non contigit, nisi communiores vermes observare, in hisce describendis compendio helminthographiae humanae Ill. delle Chiaje praesertim utar.

§. 1298. Nematoidea sunt vermes filiformes, ut exprimit ipsa vox. Νῆμα enim filum, et εἶδος forma audit. Hi vermes sunt cylindracei, elastici, in una extremitate ore, quod sequitur intestinalis ductus, in alia ano instructi; genitalibus organis donantur, quae sunt in duobus distinctis individuis. Ad hos pertinent filaria, trichocephalus, oxyurus, spiroptera, strongylus, ascaris. Filaria alia est illa Medinensis Rudolphi, aut dracunculus Bremser; alia illa hominis bronchialis Rudolphi, aut hamularia subcompressa Bremser. Prima, cujus non bene cognoscitur structura, habet caput extenuatum, os orbiculatum, posterius corpus crassius, caudae apicem subtilem recurvum cum ori-

ficio ani, et in foeminis adest oviductum prole plenissimum. Haec in tropicis regionibus, ut alibi diximus, textum cellulosum subcutaneum, praesertim pedum, et crurum, penetrat, ubi circumvoluta ad duodecim et amplius pedes longitudinis pervenit. Alia habet corpus subfuscum saepe cum albis maculis, pollice longum, rotundum, in lateribus compressum, anterius aliquantum subtile, posterius pellucidum; caput cum duobus hamulis obtusum. Hanc in glandulis bronchialibus invenit Treutler an. 1790. Eam inter species dubias ponit Rudolphi, et credit ad filarias pertinere, et hamulos esse organa genitalia. Trichocephalus dispar Rudolphi habet album corpus, saepe ab alimentis coloratum, uno aut duobus pollicibus longum, dimidia linea latum, anterius capillare; caput acutum; sed corpus maris spiraliter involutum, foemineo brevius, et tam versus caput acutum, ut os vix distingui possit; illud vero foemineum fere rectum. Hic vermis parte capillari se mittit in intestinorum plicas, et reliquum corporis liberum manet. In maribus adsunt sperma-

tica vasa, quae in cauda vaginae specie terminantur, ex qua membrum genitale exit. Foemina caudam habet rectam, vix curvam, ubi circa intestinalem tubum est oviductus. Ova autem elliptica sunt. Oxyurus, qui a Block dicitur ascaris vermicularis, est filiformis, rotundus, elasticus, vivax, duabus aut quatuor lineis longus, albus, in extremitatibus subtilissimus. Ejus corpus videtur esse annulorum complexio. Si vitro observetur caput, deprehenditur obtusum cum duabus prominentiis ad latera, et ore in ejus media parte. In mare sub tubo intestinali adest canaliculus albus, usque ad caudam extensus, qui est generationis organon. In foemina intestinalis tubus canali membranaceo circumdatur embrionibus referto, qui videntur ovalem figuram habere. Corpus foemineum masculino longius est. Hic vermis caeteris magis resistit; habitat crassa intestina, sed fere rectum et colon, et interdum vulvam et vaginam, aliasque partes. Spiroptera Rudolphi habet truncum caput cum una aut duabus papillis, ore orbiculato; corpus maris octo, foeminae decem lineis lon-

gum, albidum, tenue, elasticum, in extremitatibus attenuatum, anterius aut posterius, in spirae formam factum; cauda foeminae crassior cum apice obtuso et pellucido; cauda maris opaca, in illius basi exilem, brevem alam habens cum rotundo canaliculo, qui creditur forsan esse penis vagina; dum ova subsunt circa intestinalem ductum. Hic vermis vivit in urinae organis. Strongylus Gigas Rudolphi instruitur corpore subrubro, viginti aut triginta pollicibus longo cum octo lineis longitudinalibus majoribus et minoribus; caput est obtusum, et os cum sex papillis aliquantisper planis; bursa maris truncata ut foeminae cauda. Ille creditur brevior, et versus extremitates attenuatus; haec non solum grandior, sed ejus caudae extremitas recta est et obtusa, ubi anus longitudinalis deprehenditur. Strongylus occupat renes, eorumque substantiam delet. In quadam puella febre nervosa detenta, ex urinae viis exivit vermis, quem expertissimus medicus Maceroni curiose servavit, et examini subjecit Ill. Prof. Metaxà, qui judicavit esse strongylum, curavitque, ut ejus icon in suis memoriis zoolo-

gico-medicis delinearetur. Hic vero vermis in renibus diversorum animalium admodum frequens est. Ascaris vocatur etiam ascaris lumbricoides, vermis rotundus, lumbricus humanus. Quoad figuram lumbrico terrestri similis est; de cetero autem omnino differens, quidqnid nonnulli contra dicant. In specie enim hnmani lnmbrici mares sunt et foeminae; sed lumbricus terrestris est androgynus. Ascaris lumbricoides est crassus trium linearum, et ejus longitudo sex, decem, et quindecim pollices attingit. Mas foemina brevior est albus, roseus, ruber, rubro-fuscus, cylindraceus, versus extremitates extenuatus. Caput habet tres hemisphaericas prominentias, quae acuto apice terminantur, et in centro triangularis adest hiatus. Hae prominentiae, quarum una snperior, aliae inferiores, eum reddunt ab hirudine medicinali parum dissimilem. Ex hisce prominentiis proveniunt tormenta et ipsa intestinorum perforatio. Plures, praecipue Werner, internam descripserunt structuram. Mas et foemina non differunt, nisi per organa sexualia. Tubus alimentarius percurrit

abdomen. Credebantur in tota corporis superficie circulares adesse fibrae ; sed Werner demonstravit , quatuor tantum fibras longitudinales totam peripheriam percurrere , et fibras circulares non esse , nisi fibrarum transversalium fragmenta , per textum cellulosum conjuncta. Per hasce fibras serpentem corporis motum exponit. Frequentius hic vermis habitat intestina tenuia , quandoque in aliis humani corporis partibus. Interdum in intestinis effingunt lumbrici glomeramina, magna muci quantitate implicata.

§. 1299. Trematoda sunt vermes androgyni , qui habent corpus depressum, subrotundum, molle , et poris absorbentibus donantur , ut nomen ipsnm indicat. Spectant ad hos vermes distoma , tetrastoma , polystoma. Distoma hepaticum Abilgaard, Rudolphi , et Bremser habet corpus longum ab una usque ad quatuor lineas ; a dimidia ad lineam latum , luteo-fuscum , perverse ovatum , planum ; collum fere conicum, brevissimum ; poros orbiculatos , illum ventris majorem. Vivit in hepate , cystide fellea, ductibus bilis, ramis venae portarum. Tetrastoma

est longum quinque linearum, latum duarum; rubro-fuscum; plano-convexum, ovato-oblongum, anterius extenuatum; et habet quatuor poros anteriores: retro est subrotundum, et instruitur duobus poris in ventre, quorum unus tribuitur ori, alter genitali membro. Absconditur in fistulis renalibus, sugit sanguinem, auget molem, et laxitatem renum, et exit cum urinis. Polystoma habet corpus teretiusculum vel depressum; sex poros anticos, ventralem et posticum solitarium. Polystoma pinguicola Zeder, aliorumque, est vermis longus novem linearum; depressus, oblongus, truncatus, retro acuminatus; sex habet anteriores semilunares poros. Polystoma venarum Zeder, Rudolphi est vermis pollicis longus; latus trium linearum; depressus; sex anterioribus poris ornatus: a capite in dorsum macula oblonga producitur, quam sequuntur duae lineae ramosae, quae in ventre evidentius deprehenduntur. Habet cirrum perforatum, et apud caudam foramen. Vivit in venis, quae componuntur valvulis. De existentia vero hujusce vermis non sine ratione dubitatur.

§. 1300. Cestoidea sunt vermes, quorum corpus est productum, depressum, molle, continuum, articulatum; caput cum labiis simplicibus, sed saepius cum duobus vel quatuor fossulis, vel osculis suctoriis; omnes androgyni sunt. Horum vermium nomen formatur a duabus vocibus, quae sunt κεστός cingulum, et εἶδος forma. Attinent ad cestoidea bothriocephalus, et taenia. Taeniae sunt vermes valde longi, multis membris seu articulationibus compositi inter se junctis. In taeniis caput, collum, corpus, cauda distinguuntur. Parvum est caput, quod interdum nudis oculis discerni non potest. Hoc non est, nisi tuberculum ad extremitatem colli, quatuor aperturis donatum, modo prominentibus, modo conditis. Ex quavis apertura canalis nutriens descendit, qui ad singulas articulationes extenditur. In quibusdam taeniis deprehenduntur hamuli, qui duplicem coronam effingunt. Aliae vero hac orbantur; et ejus loco ornantur ore, variisque filamentis circa collum. Collum autem est unio minimarum articulationum, quae prout a capite recedunt, et ad corpus ap-

propinquant, latiores, longiores, et crassiores fiunt. Corpus construitur absolutis articulationibus, in quibus visibiles sunt papillae in earum fastigio reclusae, modo alternae, modo sine ordine ad margines laterales sitae. Cauda nunc trunca est; nunc trunca, sed ad latera attollitur, adinstar duorum hamorum rotundo apice. In utroque hamo, ut in memoratis papillis, parvum adest foramen. Margo articulationes nectens versus caudam est molliter concavus, et versus caput molliter convexus. Varia est crassities, et exterior taeniarum forma; quod praesertim a varia earum aetate, et nutrimine, et a diverso climate proficiscitur. Pertinent taeniae ad oviparorum classem; siquidem in quavis articulatione peculiaris subest ovorum sedes, aut tuberculi aut racemi formam habens, in qua portentosa ovorum quantitas continetur, quae emittuntur a perforatis papillis, quae ad latera sunt. Quidam asserunt, prope ovorum sedem vasa seminalia aperiri, et vermem ova aspergere semine, dum ea edit. Circa autem interiorem taeniarum structuram parum cognoscitur. Ut

plurimum taenia in tenuibus intestinis versatur, capite ferme superiorem intestinorum partem, et cauda secus inferiorem conversa. Ignoratur tempus ad ejus complementum necessarium. Nonnulli existimarunt, unamquamque articulationem taeniae esse distinctum animal, quod non amplius creditur. Taeniarum vita tenax est, nec facile ab intestinis expelluntur. Dum eliminantur, saepe nodi, qui videntur artificiales, observantur. Auctores ob taeniarum diversitatem plures divisiones excogitarunt; sed hodie non recognoscuntur, nisi duae species per specificos characteres distinctae. Quidam enim vermes qui credebantur taeniae, ad has non spectant; alii non constituunt diversas species, sed ad utramque taeniarum speciem attinent, ut taenia vulgaris, et taenia tenella Pallas, quae pertinent ad taeniam latam. Relictis igitur divisionibus etiam adnotabilioribus, ut sunt illae Linnaei, Pallas, Goeze, illam simpliciorem Block sectamur, quae constantibus innititur characteribus, et taenias in armatas et inermes distribuit. Armata majore vi quam inermis in membranam villosam inte-

stinorum penetrat, et hinc lacerationes, puncturae, et atrociora producuntur symptomata.

§. 1301. Taenia inermis est taenia lata plerorumque historiae naturalis auctorum; Bothriocephalus latus Bremser; Bothriocephalus aliorum. Primus Bonnet absolutam hujusce vermis descriptionem prodidit. Ejus corpus est ut lemniscus, album, quandoque cineraceum; crassae et membranaceae structurae, marginibus transversalibus intersectum. Articulationes colli minimae sunt; quae sequuntur ad quadrati figuram vergunt; deinde majorem longitudinem, et latitudinem habent, et ita usque ad caudam, quae trunca est. Laterales margines irregulares fiunt, qui serrati dicuntur. Taeniarum inermium longitudo est viginti aut viginti quinque pedum, et amplius; latitudo sex linearum, aut pollicis. Juxta vero aetatem longitudo et latitudo differt. Minimum est caput efformatum a quatuor papillis lateralibus, et una in centro, in qua Werner observavit proboscidem. Haec centralis papilla non habet coronam hamulis compositam, quae taeniae armatae probosci-

dem circumdat. Quatuor laterales papillae sunt quatuor canalium lateralium orificia, qui articulationum marginem usque ad caudam percurrunt. Canalis medius invenitur in centro uniuscujusque internodii. Collum est filamentis albicantibus circumtectum, quae hoc lanuginosum reddunt. Superficies cujusvis articulationis est a lineis transversalibus distincta. Margines laterales articulationum ornantur perforata papilla, quae extenditur versus ovorum sedes, quae in centro articulationum clauduntur. Hujusmodi sedes repraesentantur ab ovalibus folliculis. In superficie superiore cujusvis articulationis in sublato puncto, quod centro ovorum sedis respondet, exiguus rotundus canalis aperitur. Ex hoc secundum Pallas vermis deponit ova. Fieri potest quod hiatus papillarum marginalium non solum suctui, sed etiam sexui masculino ipsius vermis inserviat. Circa vero interiorem structuram absolutae notiones desiderantur.

§. 1302. Taenia armata vocatur etiam taenia solium, taenia cucurbitina, lumbricus latus Hippocr. etc. Caput hujus vermis

est fere hemisphaericum, duobus hamis armatum. Ut plurimum corpus habet longum octoginta pedes; sed modo plus, modo minus. Si microscopio examinetur caput, deprehenduntur hami coronam perfecte circularem et stellatam effingentes, in cujus centro extat proboscis. Ad latera aperiuntur quatuor laterales canales, qui per totam vermis longitudinem producuntur. In centro canalis medius a proboscide capitis ad caudam usque extenditur. Hic medius canalis et canales laterales superiores et inferiores per quosdam ramos connectuntur. Tam hujusmodi canales, quam rami implentur chyloso humore. Articulationes, in quibus subsunt ovorum sedes, maturiores sunt quae a medietate vermis versus caudam extenduntur. Margines cujusvis articulationis exornantur papilla, in cujus apice hiatus oblongus notatur. Hae papillae osculo instructae occupant unum ex marginibus articulationum. Interdum in uno internodio sunt in latere dextro, in alio sunt in latere sinistro; interdum in pluribus internodiis seu articulationibus sunt in eodem latere, mox in opposito. Papil-

larum oscula communicationem habent cum ovorum sedibus, et ideo considerantur ut extremitates totidem oviductuum. Quidam credunt, hasce papillas absorbere nutrimen, quod taenia praesertim sugit quatuor aperturis, quibus constat caput. Werner partes generationis detexit in hac taenia. In singulis articulationibus existunt partes sexuales. In papilla marginali articulationum aperiuntur duo canales, quorum superior, qui tuberculo rotudo terminatur, videtur esse masculinus; inferior vero flexuosus, ovis plenus, in extremitate instar sacci ampliatus, sexum foemineum constituere videtur. Ova igitur foecundantur eodem temporis momento quo deponuntur.

§. 1303. Cystica sunt vermes depresso et subrotundo corpore, quod posterius terminatur vesica vel particulari, vel pluribus individuis communi; capite cum duobus aut quatuor sugentibus osculis; corona uncinulorum, vel quatuor aduncarum proboscidum; quorum genitalia organa ignota sunt. Inter hos vermes adnumerantur cysticercus, echinococcus, acephalocystis. Cysticercus est no-

men, quod componunt κύστις vesica, et κερκός cauda. Hujus octo censentur species, nimirum I. Cysticercus cellulosae Rudolphi, Bremser; taenia cellulosae Treutler; etc. Habet corpus cylindraceum, longum; caput tetragonum cum parvo rostro rotundo, uncinato; collum brevissimum, anterius crescens; vesicam caudae ellipticam, transversam. Membranae vesicae sunt pellucidae, absque fibris visibilibus, tenuibus circulis ditatae. Corpus adhaeret extremitati vesicae caudae, in cujus interiore facie effingit massam opacam, alboluteolam, cylindraceam, consistentiae cartilagineae. Ubi corpus vesicae conjungitur foramen extat tenuissimum. Caput habet quatuor oscula exsugentia, et duplicem uncinorum seriem, ex cujus centro extollitur tubae species. Oscula sugentia sequuntur quatuor ductus, qui ad vesicam caudae finem habent. Vermis natat in humore vesicae, quae conspergitur substantia luteola a parietibus cystidis manante. Conditur hic vermis in textu celluloso, in pluribus musculis, et interdum in cerebro, et corde. II. Cysticercus Fischerianus, cy-

sticercus Fisch., C. pyriformis Zeder. Habet corpus rotundatum, spiris convolutis elaboratum, tenuissimum; caput collo majus cum osculis suctoriis, et unciuis; vesicam caudae pyriformem, cystide destitutam. III. Cysticercus dicystus Laennec. Componitur capite cum quatuor osculis sugentibus, et uncinis indefinitis; corpore anulis ornato, et duabus magnis vesicis, quarum una est caudae, altera anterior corpus continens. Est C. cellulosae varietas. IV. Cysticercus punctatus, C. albo-punctatus Laennec. Hujus corpus est productum, cauda triplo longius, globosum cum punctis albis; caput cum sex unciuis, et osculo sugenti. Existentia hujus vermis dubia est. V. Cysticercus visceralis, hydatis viscerum. Constat vagina simplici, membranacea; capite cum tuberculis, et totidem articulationibus colli; corpore globoso, anterius lato, posterius aliquantum acuminato. VI. Cysticercus hepaticus. Instruitur vagina cartilaginea, sphaerali, vasculosa; internus vermis cum capite et collo distincto; proboscide trunca, et corona redimita; collo longo, cylin-

draceo, conico; corpore vesicali ovato oblongo. Vivit in substantia hepatis. VII. Cysticercus aortae Notarjanni. Ejus corpus est ovatum, pellucidum, in quibusdam individuis ut pisum, in aliis ut amygdala; caput est conicum opacum cum corona tenuium filorum. Dubium est an constituat diversam speciem a C. cellulosae, aut vero pertineat ad acephalocystes, ut videtur Delle Chiaie. VIII. Cysticercus tenuicollis Rudolphi. Habet caput tetragonum, rostrum cylindraceum, aliquantisper aduncum; collum breve et illo strictius; corpus parvum, scilicet a dimidio ad duos pollices longum, et duarum linearum latum; vesicam caudae fere globosam. Hujus existentia tam in hominibus, quam in brutis animalibus comperta est. Echinococcus est nomen duabus vocibus conflatum, quae sunt ἐχῖνος echinus, et κόκκος granum. Habent echinococci externam vesicam simplicem aut duplicem, cujus internae superficiei plura adhaerent entozoa granis arenae similia; quorum corpus obovatum; caput ut taeniae armatae cum uncinorum corona, et osculis su-

gentibus. Echinococcus hominis Rudolphi construitur sacco albo-luteo, pellucido, dimidiae lineae crasso, qui continet aquam et vesiculas. Hunc vermem reperit Meckel; deinde ab aliis fuit observatus in cerebro. Acephalocystis, ut nomen indicat est sine capite, et vesica constat. Vermes qui ad hunc spectant, et sunt hydatides verae, in quinque species distribuuntur. I. A. ovoidea. Corpus pyriforme, simplex, vesica compositum, et interius corporibus ovatis aut sphaericis albis, opacis, parum adhaerentibus et saepe in centro perforatis praeditum. II. A. surculigera. Corpus pyriforme, simplex, vesiculare, et interius variis surculis; exhibens in duabus superficiebus parvas gemmas irregulares, varias, vix visibiles; quoad magnitudinem a cannabis semine non dissimile. III. A. granulosa. Corpus pyriforme, vesiculare, interius granulis pellucidis diffusum. Praecedenti speciei videtur similis. IV. A. plana. Non adhuc hic vermis fuit accurate descriptus. V. A. communis. Vesica communis, quae pervenire potest ad spectabile volumen, vesiculas continens

diversae magnitudinis, quae alias vesiculas includunt, et exeunt dum earum matres lacerant.

§. 1304. Praeter expositos vermes adnotandi sunt pseudo-helminthi. I. Caos infusorium intestinale Brera. Hujus corpus est globosum, liberum, crystallinum, lucidum, hirsutum. Extat in urina, saliva, sero sanguinis, aliisque humoribus, praesertim intestinorum muco. II. Caos infusorium spermaticum Brera. Habet corpus globosum, liberum, ad naturam gelatinae accedens, ellipticum, crystallinum; caput anterius rotundatum; caudam longam tenuissimam. Invenitur in humano spermate. III. Ascaris stephanostoma Joerdens. Hujus corpus est conicum, anulis compositum, albo-lacteum; frons bicornis; proboscis cum duodecim acutis appendicibus; undecim ad quatuordecim incisurae corporis; cauda bifida. Existit in tubo intestinali aliisque partibus. IV. A. conosoma Joerdens. Habet corpus incisum articulatum, splendens; caput obtusum cum duabus papillis; cauda simplex, acuminata. Creditur larva M. domesticae. Habitat in intestinis.

V. Cercosoma Brera. Non pertinet ad humanos vermes; siquidem est larva Eristali penduli, qui stagna incolit. VI. Cercaria tenax Brera. Ejus corpus est membranaceum, fere ovatum, anterius aliquantum crassum, obtusum; cauda triplo brevior, acuminata. Habet sedem in sorditie dentium, et in parte inferiore dentium cariosorum. VII. Ophyostoma Pontier. Hic vermis est fere nervis similis, novem pollices longus, et in una extremitate habet caput cum maxilla. Inquit Delle Chiaie, hunc vermem esse fersan Gordium aquaticum. L. cujus singulos characteres offert. VIII. Nettrorhyncus Blainville. Hujus corpus est longum duos pedes et sex pollices, latum pollicem cum dimidio, anulis compositum, ut lumbricus terrestris, lividum. Caput minus corpore, et os simile ignotae speciei hirudinis, cui secundum Delle Chiaie referri debet. Hic vermis ab hodiernis helminthologis negligitur. Tandem adnotandae sunt hydatides, quae dicuntur spuriae. Hae sunt vesicae, ut racemi insimul junctae, humore seroso aut purulento repletae, vita destitutae, variis corporis partibus plus vel minus adhae-

rentes. Earum generatio ignota est. Etiam inter entozoa quaedam sunt, quorum existentia dubia est, ut Ditrachyceros rudis tubi intestinalis, quem primus descripsit Sultzer, posuitque inter hydatides; alia quae illudunt, ut Sagittula hominis Lam; Diacanthos polycephalus Stiebel. Praeterea sunt morbosa producta, quae aptantur organis, et adipiscuntur vitam, ut pseudomembranae; sed hujusmodi producta ad vermes nullo modo spectant.

§. 1305. Generatio vermium tam in hominibus quam in brutis animalibus tenebris abscondita est. Omni tempore ad eam exponendam excogitatae fuerunt hypostheses. Pythagoras, et Anaxagoras finxerunt naturalem processum, ex quo materia rudis in ens organis instructum mutaretur: Aristoteles generationem ambiguam, et hujus hypothesis parum a precedenti distat. Etenim ponitur corpus organis aptatum, a materie animali informi, et per naturalem processum vario modo accommodata productum. Alii admittunt germina existentia, in corpus vel per aërem, vel per aliam rationem introducta,

quae deinde evolvuntur ; alii contendunt , vermes esse innatos , ut Swammerdan , aliique. Hodie vero duae dominantur hypotheses, nempe generatio spontanea entozoorum , et generatio ovipara. Rudolphi et Bremser defendunt primam. Judicant ex particulis organicis minus assimilatis , aliisque non congruentibus separari vermes , qui mox vita propria et speciali gaudeant. Creditur haec spontanea generatio in quacunque corporis parte contingere; sed pro variis locis varia, et pro diversa aetate et temperamento plus minusve expedita. Ad id confirmandum alii addiderunt quod ut animalia et vegetabilia perfecta a sexuali generatione nascuntur, sic simplicia sponte possunt oriri, et post ortum perfici, et entia magis composita producere. Sed validiora argumenta ad oviparam generationem probabiliorem reddendam conspirant. Nostris temporibus melius cognoscitur vermium structura, si vesiculosi excipiantur. Compertum est efformari vermes a partibus sexualibus , quae aut in eodem individuo conjunctae , aut in distinctis individuis reperiuntur. Taeniae habent in se ipsis

partes utrumque sexum constituentes ; idcirco ab ipsis met datur ovis foecunditas. In caeteris vermibus aut foecundantur ova unione sexuum , aut sine congressu , sed solo super ea maris transitu , ut animadvertit Brera. Vermium ova minima sunt , ideoque a vasis lymphaticis absorberi queunt , et in circulantem sanguinem transferri , et in diversa corporis loca deponi. Ergo seminium vermium potest a matre in foetum transmitti. Ut autem explicentur vermes, quaedam res circumstantes opportunae sunt, ut constitutionis infirmitas , aetas , alimenta , etc. ut de caussis loquuturi observabimus.

§. 1306. Extricatis vermibus, viscerum motui assuescunt ; plus vel minus vivunt; et dum corpore expelluntur facile pereunt. Ornantur musculari systemate , per quod moventur ; vasis ; nutritionis organis ; et inter sensuum organa probabiliter illis gustus, tactusque. Orbantur nervorum systemate, et respirationis organis. Hujusmodi viventia aut sunt diversi sexus, aut androgyna. Sunt ovipara, excepta filaria medinensi, quae a Rudolphi vivipara reperta est. Ova innumera

sunt, aut natantia, aut glutinata satis viscoso humore. Fere solitaria, interdum racemosa. Rudolphi, et deinde alii involucra ovorum taeniarum descripserunt. Probabile est, inter vermes reperiri monstra, quorum deformitas vel in excessu, vel in defectu partium praecipue consistere videtur. Verisimile etiam est, vermes corripi morbis, quibus intereunt; et saepe hinc destructi et concisi e corpore egrediuntur.

§. 1307. Caussae, quae verminationi disponunt, sunt aetas puerilis; aër calidus et humidus; universalis debilitas, et particularis viscerum quae alimentorum assimilationi famulantur; corporis habitus lymphaticus, mucosus; alimenta glutinosa, farinacea; assiduus usus lactis, lacticiniorum, substantiarum pinguium, leguminum, carnium, fructuum horaeorum, rerum dulcium et saccharo conditarum, licet Redi a dulcibus, et acidis succis vexari et convelli vermes observavit; vita sedentaria; domus nec salubris, nec perflatilis, et in loco palustri et coenoso posita; potiones aquae impurae; quaedam animi pathemata, ut terror; iner-

tia bilis; etc. Cum verminatio epidemica est, aut endemica, probabilius a qualitate climatis, aut alimentorum dependet. Ad diversas autem vermium species caussae dissimiles praeparant. In Indiis Orientalibus endemica est filaria medinensis, cujus evolutio an ab aëre, vel ab aquis, vel ab alimentis proveniat, in quaestione versatur. Apud infantes ascarides vermiculares frequentes sunt; ascarides lumbricoides adolescentes vexant; praesertim qui alba et molli cute, flavaque coma donantur, quamvis iidem vermes alia aetate, et oppositis conditionibus observantur; juvenes, et homines confirmatae aetatis laborant taenia, potissimum mulieres. Pluribus in regionibus per actionem climatis, et alimentorum taenia familiaris est, ut in plagis maritimis Russiae, ubi praecipuum nutrimen piscibus, et substantiis viscosis continetur. Quandoque etiam in foetu inveniuntur vermes.

§. 1308. Symptomata vermium alia universalia sunt, alia specierum propria. Universalia etiam ad alios morbos possunt pertinere, et ideo ambigua sunt, nisi insimul

juncta spectentur. Haec symptomata sunt nausea, inappetentia, aut appetitus auctus, sitis, os aridum, sordida lingua, salivatio, halitus foetens et acidus, facies pallida tumida, fugax genarum rubor, narium pruritus, dolores circa epigastrium et umbilicum, singultus, vomitus, meteorismus, diarrhoea, tenesmus, abdominis retractio, haemorrhoidalia pathemata, excrementa mucosa nigra olida vermium exuviis mixta, aurium susurrus, distorti fixi tristes oculi, et circa inferiorem palpebram halo livens, dilatatio pupillae ejusque imminuta mobilitas, momentanea surditas, et caecitas, risus sardonicus, praecordiorum anxietas, depravatus olfactus, tussis sicca, spiritus gravis, laboriosa loquela, cephalalgia, extremitatum frigus, contractio musculorum inferioris maxillae cum dentium stridore, animi dejectio, delirium, profundus sopor, tristes imagines et tremores in somno; membrorum et articulationum errabundi dolores, palpitatio cordis, pulsus duri frequentes intermittentes inaequales, urina aquea limpida lactea turbida, dysuria, convulsiones, paralyses, in

mulieribus aberratio menstruorum, in nutricibus inopia lactis. Observandum est quod assumpto alimento mitescunt symptomata, praesertim puncturae sensus in abdominis cavo; sed absoluta digestione atrocius adoriuntur. Interdum vermes intestina perforant, quod a quibusdam perperam negatur. Hujusmodi perforationem venerandus pater meus in anatomico theatro S. Spiritus omnibus palam fecit.

§. 1309. Quoad specialia symptomata, de illis filariae medinensis jam diximus in lib. de impetiginibus. Illa autem filariae bronchialis ignorantur; sed solum ab assidua et sicca tussi, internis pectoris doloribus, difficili respiratione eam conjicere licebit. P. Franch ab hac filaria habere posse originem phthisin pulmonalem suspicatus est. Trichocephali symptomata sunt quae ab irritatione tubi intestinalis proveniunt. Illa oxyuri, seu ascaridis vermicularis, utpote levia, saepe non advertuntur; sed ut plurimum subesse ascarides a pruritu versus recti finem, dolore, tenesmo, haemorrhoidibus, tussi, stridore dentium, narium pruritu cognoscitur. Circa ve-

ro vesperam ani pruritus, dolor, tenesmus magis molestant. Nihil autem certi de symptomatibus spiroterae, quae vivit in urinae organis, et de illis strongyli, sive ascaridis renalis dici potest. Symptomata strongyli crudelia sunt in equis, asinis, mulis, in quibus renalem arteriam pervadit, et inducit aneurysma. Ascaris lumbricoides fere occupat tenuia intestina; sed interdum alia loca, et ideo variant symptomata. Cum incolit intestina, dolores praecipue circa umbilicum, dentium stridorem, pruritum narium, spasmos, subsultus, saevissima somnia, dilatationem pupillae, circulum lividum circa inferiorem palpebram, salivationem, urinam aqueam, delirium, singultum, tussim, risum sardonicum affert. Cum autem lumbrici diriguntur versus stomachum, non desunt nausea, vomitus, cardialgia, et interdum bulimus; et non raro hujusmodi vermes per os ejiciuntur. Expulsi lumbrici contactu externi aëris, et aquae frigidae ex facili moriuntur. Dum vero ascaris lumbricoides aut ductum hepatis, aut abdominis cavum, aut viscera tenet, alia observantur foenomena.

Interdum hic vermis in abscessibus et sinubus fistulosis invenitur. Cum medicinam facere incipiebam, virginem viginti quatuor annorum curabam, consumptione et lenta febre infausti amoris caussa correptam. Laborabat etiam sinu fistuloso in abdomine, duos circiter transversos digitos ab ilii sinistri crista. Caussa hujusce sinus fuisse videtur praepostera cerati applicatio ab empirico instituta ad quandam resolvendam duritiem. Sponte enim disrupto tumore, fistula consequuta est. Sinum examinavi specillo, quod circa quatuor transversos digitos versus lineam albam intra abdominis musculos et integumenta penetrabat. Propter continuam febrem, maximam virium infirmitatem, et maciem, vetitum fuit dilatare sinum, quod ad assequendam sanationem erat unica ratio. Praescripsi fotus super abdomen ex decoctione cicutae cum aceto ad quasdam discutiendas duritias, quae totidem erant frigidi tumores; et siccis linteis carptis fistulae orificium defendebam, ex qua pus ichorosum manabat. Dum manu molliter circumferentiam fistulae comprimebam, ut stagnans

pus abiret, ad orificium extraneum corpus comparuit, quod strobili mucro videbatur. Hoc apprehenso et detracto volsella, lumbricum palmi longum et instar calami crassum esse vidi. Ablato verme, è sinu imminuit puris fluxus; sed paullo post eadem puris quantitas profluxit, et aegra consumpta periit. Ferme autem nihil dicendum est de symptomatibus, quae producunt distoma hepaticum, tetrastoma renum, polystoma pinguicola. Plura vero sunt taeniarum signa, ut in abdomine motus rotans, sensibilis suctus, punctiones; pondus in latere; abdomen modo tumefit et distenditur, modo deprimitur; frigus invadit abdominalia viscera; raro appetitus deest, quin fere augetur, et eodem tempore insignior fit macies, et virium debilitas; dilatantur pupulae, delabuntur lacrymae, fluxa amaurosis; animi deliquia; convulsiones; vomitus; colicae; aphonia. Cum autem taenia armata membranam villosam pervadit, interdum excitat lethalia foenomena, ut saevissimos abdominis dolores, convulsiones, palpitationem cordis, inflammationes, suppurationes, gangraenas. Qui ve-

xantur taeniis saepe exhibent in facie coloris mutationem, qui modo plumbeus est, modo ut in ictero luteus. Exposita symptomata non desistunt, donec integra taenia una cum capite non egrediatur. Signa cysticerci, ut et illa echinococci dubia sunt. Hic vermis in visceribus existens plura producit symptomata, et ipsa viscera destruit. Si subsit in cerebro perditur olfactus, auditus, visus; convulsiones, et extremitatum superiorum et inferiorum paralyses contingunt: si in pulmonibus, gravis est respiratio, difficilis in latus cubatio, molestat tussis, generantur aquosa tubercula, et oedema pedum. Acephalocystis saepe nullum praebet signum; sed si ejus volumen admodum augetur, comprimuntur partes, deprehenditur tactu, et etiam fluctuatio percipitur. Denique dum subsunt pseudo-vermes plura interdum cernuntur indicia. Chaos infusorium intestinale extat ut plurimum in intestinorum muco, et interdum in urina, aliisque humoribus. Ubi intestina colit, urinae tales sunt quales in verminatione solent deprehendi; faeces luteo-albidae, foetidissimae, mucosae; si mucus in

aqua et lente vitrea examinetur, pellicula detegitur cum punctis minimis, rotundis, quae contrahuntur; aggrediuntur convulsiones.

§. 1310. A quibusdam etsi doctissimis viris absurde putantur vermes, praecipue intestinales, non solum innocui, sed etiam interdum utiles et necessarii; siquidem aut intestinorum exuberantem mucum absumunt, aut eorum motum peristalticum movent. Quidam asserunt nullam a vermibus perturbationem oriri, nec alimentorum coctionem, nec chyli circulationem laedi. Ast quid magis experientiae adversum? Quamvis enim vermes quandoque parum aut nihil sanitatem turbant, ut plurimum infensi sunt, et non raro mortem ipsam afferunt. Necesse est ad varios discriminis gradus praenoscendos, ut ponderentur symptomata; loca in quibus hospitantur vermes; eorumque species. Ex ipsa descriptione patet, alia symptomata esse mitiora, alia graviora, ut animi deliquia, convulsiones, paralyses, apoplexia, etc. Et ubi haec affligunt, maximum est discrimen. Inquit Klein op. cit. pag. 294. = Syncope a vermibus ventriculi pueris frequens est, ac

fatalis plerumque; prodeunt brevi ante mortem in his per os. Apoplexia pluries corripiuntur infantes verminosa, fatali pluries = Saepe perniciosa sunt symptomata, si vermes occupant viscera nobilia, ut cerebrum, pulmones, cor. Ab illis enim cerebri moventur exitiosae convulsiones, intolerabiles capitis dolores, apoplexia; ab illis pulmonum tussis pertinax, respiratio difficilis, consumptio; ab illis cordis punctiones et dolores sub respiratione, palpitationes, animi deliquia, convulsiones. Dum vero vermes in intestinis habitant, actioni anthelminthicorum magis exponuntur; interdum tamen valide ipsis resistunt, aut quia in plicaturis intestinorum absconduntur, ant quia muco involvuntur, aut eorum proboscide intestinalibus parietibus pertinaciter inhaerescunt, unde gravissima excitant pathemata, et aliquando ipsa perforant intestina. Quoad vermium species, de filaria medinensi jam aliquid diximus, et observavimus lib. cit. feliciter extrahi posse. Filaria autem lymphatica ob ejus sequelas periculosa est. Trichocephalus vinci potest anthelminthicis, et cum

excrementis eliminari. Oxyuri, seu ascarides vermiculares expugnatu difficillimae sunt. Non portendunt discrimen; sed si curatio negligatur, inferre possunt tenesmum, lacessere, et recti intestini inflammationem, et ulcus facere. Spiroptera, et strongylus gigas Rudolphi, aliorumque, funestis consecutionibus ansam praebent. Lumbrici interdum reluctantur remediis, et periculosi sunt; sed minus albi, quam nigri et rufi, aut variegati coloris. Cum ascendunt in ventriculum gravia pariunt symptomata, sed facile evomuntur. Sic per os et per anum vel in decursu, vel circa finem morborum expelluntur, quod modo malum, modo bonum est. Etenim si in acutis et gravioribus morbis aut in eorum initio, aut in vigore sive vivi sive mortui exeant lumbrici, praesertim soli et sine stercore, dum alia signa mala sunt, infaustum indicant omen. Contra si cum excrementis detrudantur, et morbi vergant ad judicationem. Inquit Hippocr. coac. praenot. vi. 5. = χρήσιμον δὲ καὶ ἑλμινθας στρογγύλας διεξιέναι πρὸς κρίσιν προσάγοντι. Commodum est et lumbricos

rotundos exire simul, ubi ad judicationem tendit. = Revera expulsis hisce vermibus, saepe febres resolvi observamus. Distoma autem hepaticum, tetrastoma renum in magnum conjiciunt discrimen. Taeniae vero negotium ingens curantibus facessunt; nam validioribus renituntur pharmacis, praesertim quae armatae appellantur, quarum symptomata saevissima sunt. Periculosi et etiam lethales sunt vermes cystici, si in nobili viscere hospitium habeant. Cum vermes autem cum aliis morbis copulantur, horum gravitatem adaugent, quae a vermium specie, numero, et a symptomatum violentia pensitatur.

§. 1311. Curatio ita ordinari debet, ut enecentur et expellantur vermes; abducantur caussae, quae iis favent; et leniantur symptomata. Ad id praesertim necessum est perpendere vermium species, et loca ubi sedent. Non omnes enim vermes iisdem expugnantur remediis, quae pro variis eorum speciebus, locis, symptomatis, caussis, varia esse debent. Haec igitur in generalia et specialia, interna et externa distinguuntur. Gene-

ralia sunt quae instruuntur principiis, unde vere anthelminthica existimantur, licet non cognoscuntur quae constanter talia sint; aut mechanico modo operantur; aut vim habent expellendi vermes; aut roborant. Specialia vero sunt quae efficacius in vermium species pollent, ut ex. gr. in taenias polypodium filix mas; in ascarides vermiculares, et in ascarides lumbricoides geoffroea surinamensis, cujus cortex summopere celebratur. Interna externis validiora sunt; sed interdum etiam haec juvant, potissimum circa loca quibus hospitari creduntur vermes. Ut autem ordine progrediamur, prius de generali, deinde de speciali curatione agendum est. Saepe vermes in intestinis vitam incolunt; et ideo curatio ab emeticis et purgantibus incipit, ut ipsi detrudantur, et expellantur muci, qui uberrime ob ipsam vermium irritationem secernuntur, et in quibus vermes absconduntur, et ab anthelminthicis vindicantur; et ut refigantur a digestionis organis, quibus interdum firmiter adhaerent. Emetica adhibenda sunt ipecacuanhae radix, et tartarus emeticus. Pro pueris pauca sufficiunt

ipecacuanhae grana, aut levis hujus infusio; pro adultis major sit dosis, aut exhibetur tartarus emeticus ad aliquod granum multa aqua solutus. Purgantia pueris aptiora sunt oleum olivae, amygdalarum dulcium, seminum ricini; syrupus de cichorio cum rhabarbaro, florum persicorum; aliquot diagrydii grana; adultis major dosis olei seminum ricini, diagrydii; rhabarbarum; infusio sennae; aloe; salia, quae sordem viscosam tollunt, ut sulphas sodae, magnesiae, etc. Caute etiam drastica usurpari possunt pro valentibus hominibus, sed nunquam pro debilibus, sensibilibusque, ut gummi gutta, scammonium, radix hellebori albi aut nigri, gratiola officinalis, etc. Hisce praemissis, et disposita diaeta, quae parca sit, et vermibus adversa, dentur anthelminthica, quae pro dissimilibus casibus efficaciora videntur; et identidem repetenda sunt emetica et purgantia, sed circumspecta aetate, viribus, habituque corporis: et etiam clysteres injiciendi sunt, ut illi ex lacte et saccharo parati. Plurima autem sunt anthelminthica, quae fere a vegetabili et minerali re-

guo, et interdum etiam ab illo animali desumuntur. Generatim hoc nomine vocantur quae vermes detrudunt et occidunt; sed vere anthelminthica sunt quae directe agunt in vermes, eosque enecant. Haec aut mechanico modo operantur, ut stannum, ferrum, zincum, hydrargyrus, carbo in pulverem ruditer redactus; siquidem proprio pondere expellunt, frangunt, perimunt vermes: aut vitae vermium infensa sunt, ut aqua frigida, glacies, acidum carbonicum, oleum olivae cum acido mali medici et saccharo: aut sunt amara, ut marrubium, absynthium, abrotanum, simaruba, cortex peruvianus, fel taurinum: aut acria, ut succus allii, caepae, porri: aut foetentia, ut valeriana, assa foetida, galbanum, sagapenum, opopanax, myrrha, petroleum, cortex radicis granati, radix filicis maris, oleum Dippel, sal volatile C. C: aut aromatica, ut camphora, oleum essentiale valerianae, sabinae, moschus, castoreum, oleum cajeput: aut specifica virtute pollent, ut fucus helminthochorton, radix filicis maris: aut vermes stupefaciunt, et moderantur symptomata, ut composita ex opio:

aut alia ob deletrices vires suspecta, ideoque non adhibenda, aut cautissime, ut semen veratri sabadillae, acidum prussicum, nicotiana, nux vomica, rhus radicans et toxicodendron, solutio arsenicalis, murias argenti. Praeter haec alia plura ob unam aut aliam ex expositis qualitatibus anthelminthica sunt, a triplici naturae regno deducta, ut semen santonici, radix jalapae, cortex viridis immaturorum fructuum juglandis regiae, spigelia anthelmia, marilandica, tanacetum vulgare: murias ammoniacae; murias barytis prudenter adhibendus, aut omnino respuendus, si adsit morbosa sensibilitas, et ad inflammationem dispositio; murias sodae; acida mineralia; sulphas ferri; aquae martiales; mercurialia, ut mercurius dulcis, aethiops mineralis, oxydum hydrargiri luteum opè acidi sulphurici, seu turpethum minerale, quod saepissime olim usurpabatur, sed hodie nullius usus est ob multa quae affert incommoda, ut vol. III. pag. 128. ita exponit Carminati = Vomitus quippe, dolores stomachi, et ventris, alvus vehementer mota, salivae fluxus, atque alia

incommoda, quae a duobus granis ad sex, sive in aqua solutis, sive mucilagine, aut syrupo exceptis generatim superveniunt, nec possunt tuto declinari, ubi quavis vice ejus dimidium granum, non ultra, ore sumatur = Sic inter anthelminthica recensetur cornu C. ustum, ejus scobs; testae ovorum contusae, et alia hujusmodi. Substantiis anthelminthicis parantur clysteres, ut assa foetida; camphora aqua et egelido lacte soluta; corallina maritima, et melle; et ut diximus simplici lacte et saccharo. Externa remedia sunt unctiones, quae fiunt cum assa foetida aliquo animali humore soluta; oleo camphorato; petroleo, praesertim cum vermes excitant tormina; oleo tanaceti, rutae; terebinthina ovi vitello subacta; unguento de arthanita majori: cataplasmata, quae componuntur anthelminthicis, emollientibus, sedantibus: interdum fotus emollientes, balnea tepida, semicupia: hirudines, si multa sit irritatio, et abdominis dolores exerceant, ne superveniat inflammatio. Si autem accedant convulsivi motus et spasmi, adhibeantur opiata et antispasmodica, ut tin-

tura assa foetidae, castorei, liquor anod. min. Hoff. aether sulphuricus, etc.

§. 1312. Expeditum non est specialem curationem in vermes statuere, potissimum in illos, qui in viscerum latibulis reconduntur. Quomodo in filariam medinensem afferatur remedium, jam exposuimus; in filariam vero lymphaticam quod valentius sit, ignoratur. In trichocephalum efficacia sunt anthelminthica, quae in alios vermes usurpari solent; et etiam roborantia, quo facilius eum intestina expellant, ejusque generationem impediant. Oxyuri, seu ascarides vermiculares difficiliter exterminantur. In recto crebrius nidificant, et illic copioso muco a remediis se defendunt, et faecibus confunduntur. Quocirca magis saepe clysteres et externa, quam interna valent auxilia. Utraque tamen in usum vocentur; et distinguendum est, quae magis utilia sunt. Aliqua purgatio, praecipue ex oleo ricini, praemitti debet; hinc injiciendi clysteres, qui vario modo praeparantur. Ex internis autem praecipua sunt oleum terebinthinae, mercurius dulcis, diagrydium sulphuratum, et ut

paucis dicam, purgantia, anthelminthica, roborantia, mucilaginosa. Cum hi vermes intestina tenuia, stomachum, oesophagum obsident, conveniunt practici, elixir vitriolicum Mynsicht, camphoram, valerianam, zincum, ferrum, sulphur, et roborantia, praesentanea esse remedia. Clysteres autem fiunt decoctionibus seminum santonici; tanaceti, matricariae parthenii. Hujusmodi decoctiones injici possunt in mulierum vaginam, cum ascarides vermiculares in ea nidum faciant. Etiam clysteres parantur aqua frigida sale et aceto aspersa; lacte et extracto aloes; lacte tepido salito; decoctionibus geoffroeae surinamensis; fumo nicotianae, quo nunquam pro pueris uti debemus. Si vero ingens sit recti irritatio, subveniunt fotus et emollientes clysteres, qui componuntur amylo et mucilaginosis substantiis, ut mucilagine malorum cynodiorum. Interdum adhibentur supposita, quae fiunt sapone oleo ricini perfuso, aut lana solutione aloes conspersa, etc. Sed ubi vexat pruritus, ut mitigetur, immittendum est lardi frustulum filo devinctum, quod dum post

aliquod temporis spatium extrahitur, observantur vermes ipsi adhaerentes; et deinde aliud lardi frustulum inducendum. Si spiroptera, aut strongylum subesse putetur, juvant quae molliunt irritationem renum, et mox quae urinae secretionem augent. Curatio in ascarides lumbricoides a purgantibus inchoanda est, quae identidem adhiberi possunt. Auxilia autem magis celebrata sunt camphora; semen santonici; corallina Corsicae, cujus datur pulvis aut satura decoctio cum saccharo, aut melle; valeriana; tanacetum; absynthium; geoffroea surinamensis; chamomilla; spigelia anthelminthica et marilandica; filix mas; cortex granati; acida vegetabilia et mineralia; oleum terebinthinae, nucum juglandium, juniperi; assa foetida decoctione tanaceti soluta; jus carnium salitum; mercurius; ferrum; zincum; sulphur. Quaedam autem speciatim laudantur a scriptoribus, ut sulphas ferri cum semine santonici et jalapa a Rosenstein; grana quindecim pro adultis pulveris foliorum hellebori foetidi, aut drachma syrupi eorum succo parati, a Bisset; mixtura com-

posita scrupulo hellebori nigri, duodecim granis sulphatis ferri, uncia aquae cardui benedicti, addito syrupo violarum, aut melle, a Lille. Dosis hujusce mixturae est mane et vespere exiguum cochlear. Ego autem aliam efficacissimam invenio, quam aethiope minerali, semine santonici, corallina corsicana, melle, et aqua theriacali et florum aurantiorum compono. Utiles etiam sunt clysteres ex decoctionibus abrotani, tanaceti, quibus addi potest assa foetida. Unctiones quoque super abdomen fiunt ex oleo rutae, tanaceti, hyperici; unguento arthanitae simplici, aut cum oleo hyperici; bile bovilla et sapone veneto cum sufficienti quantitate olei tanaceti; petroleo; etc. Conveniunt denique fomentationes ex decoctionibus stirpium anthelmiuthicarum, et interdum emollientium. In distoma autem, tetrastoma, et polystoma, non suppetunt remedia; et solum purum aërem, purasque aquas, bonaque alimenta prodesse existimandum est. Nec facilis est curatio in taenias, praesertim armatas, quae praestantissimis saepe remediis non obediunt. Nihilominus drasticis validiori-

bus, et auxiliis experientia confirmatis tam inermes, quam armatae non raro expelluntur. Hujusmodi auxilia plura sunt, ex quibus praecipua referam. Ab academia Edenburgi laudatum fuit stannum, ut absolutorium remdium. Datur stannum praeparatum, sive in pulverem tritum, sive rasum, sive granulatum, varia dosi, scilicet a scrupulo ad duos, ad unam aut duas drachmas, ad dimidiam aut unciam. Praescribitur sub forma boli, aut cum melle sub illa electuarii. Quo autem reddatur efficacius, aliis miscetur remediis, ut sunt jalapa, radix filicis maris, sulphas ferri, semen santonici, saccharum. Adhiberi solet stannum per tres, quatuor, et quinque dies, et dein porrigitur purgans, ut occisus vermis eliminetur. Illud Angliae utpote purissimum praeferendum est. Quod enim in commercio prostat, plumbum continet, et arsenicalem pyritem, et ideo colicam saturninam, et extremitatum inferiorum paralysin inducere valet. In celebri arcano Matthieu Prussiae regi vendito ingreditur stannum. Hoc arcanum duobus electuariis continetur. Primum constat uncia scobis

stanni anglicani, sex drachmis radicis filicis, dimidia uncia seminis santonici, drachma pulveris jalapae, et totidem salis polychresti. Admixtis omnibus cum melle fit electuarium. Aliud componitur duobus scrupulis pulveris jalapae, et totidem salis polychresti scrupulo scammonii, decem granis gummi guttae, et melle, quo fit electuarium. Aeger enutritus salsis alecibus, harengis, aliisque similibus, omni bihorio exiguum cochlear sumat primi electuarii, donec in intestinis vermis motum advertat; tum eadem dosi, eademque methodo secundum electuarium adhibeat usque ad expulsionem vermis quae aliquo cochleare olei ricini celeratur. Commendatum etiam fuit remedium Bisset, ab hoc ut singulare judicatum, quod consistit in quidecim granis gummi guttae cum extracto gentianae, et pro una dosi sub forma pilulari datur. Celeberrimum autem fuit illud notissimum viduae Nouffer, a Galliae rege emptum. Pulmentum suppeditatur pro coena ex pane, aqua, butyro recenti, et sale, ut salitum fiat. Post horae quadrantem duo exigua crustula in albo mero, aut aqua dilu-

to. Si vero alvus compressa sit, post dimidiam horam a coena, injiciatur clyster ex aqua malvae cum muriate sodae, et duabus unciis olei ricini. Postridie aeger recubans sumat remedium compositum ex duabus vel tribus scrupulis pulveris radicis filicis maris, sex unciis aquae florum tiliae, aut simplicis. Et ut evitetur nausea, sumatur potio coffeae, aut aliquid jucundi versetur in ore. Post duas horas è lecto surgat, et inde voret bolum instructum ex decem granis panaceae mercurialis, totidem scammonii, sex granis gummi guttae cum confectione de hyacintho. Post hauriat levem decoctionem theae, donec expellatur vermis. Hoc detruso, jure, apto cibo, quiete, et modica exercitatione, restaurentur vires. Si bolus nullum effectum edat, post septem horas praescribatur uncia sulphatis magnesiae. Interdum ut glomer exit vermis, interdum lente. Tum trahi non debet; sed aeger super vas sedeat, quod lac et aquam modice calidam contineat, ut invitetur vermis, et gradum caloris tubi intestinalis non perdat; bibat calidam infusionem theae, aut levem potio-

nem sulphatis magnesiae. Cum nimius aëris calor actionem remedii imminuat, hoc dandum est sub frigidis tempestatibus, aut aestate matutinis temporibus. Actio hujusce medicamenti in taeniam inermem, seu latam, certa est; non ita vero in illam armatam, seu cucurbitinam, quamvis etiam multum juvet. Vogel, aliique summopere commendarunt pulverem radicis filicis ad scrupulum, et dimidiam drachmam cum tribus granis gummi guttae. Hoc remedium per aliquot dies sumitur mane et vespere. Hodie praedicatur methodus Bondier, scilicet per duos, aut tres dies datur scrupulus usque ad drachmam aetheris sulphurici in satura decoctione radicis filicis, et post circiter horam uncia, aut duae olei ricini cum aliquo syrupo. Praeterea immittuntur clysteres ex duabus drachmis aetheris sulphurici in satura decoctione radicis filicis. Secundum Alibert aether sulphuricus est omnibus efficacius remedium. Eum praescribit ad drachmam in eadem decoctione radicis filicis; et deinde purgationem ex jalapa, aut aliquo sale neutro. Brayer usus est infusione composita ex quin-

que drachmis florum et seminum brayerae anthelminthicae, et libra aqueae. Hujus sumitur dimdium; post horam reliquum. Plures celebrarunt gas acidum carbonicum, et aquas, quae hoc imbuuntur. Chabert suum porrigit oleum empyreumaticum, quo etiam utuntur alii, inter quos Bremser. Hodie communiter dicitur, oleum terebintinae praesentissimum esse medicamentum, cujus Fanwisk duas uncias feliciter exporrexit. Rosenstein post purgationem, aquam frigidam exhibebat. Brera efficaciorem judicat aquam marinam frigidam, aut aquas cum sulphate, vel muriate sodae. Weigel librae aquae miscet unciam salis Glauberi, cujus vespertino tempore dimidiam pateram praebet; bis autem in die triginta guttas elixirii vitriolici Mynsicht in aqua cum saccharo. Schmucker utebatur pulvere seminum sabadillae sub forma pilulari; deinde administrabat pateram decoctionis florum tiliae; mox purgans ex sale Glauberi et rhabarbaro. Haec vero methodus ob inflammationem intestinorum, quam afferre potest, omnino damnanda est. Praecipiebat Desault frictiones mercuriales super abdo-

men ; et deinde purgans ex ingenti dosi calomelani. Sed haec etiam methodus suspecta est. Animadvertit Brera , si mercurium adhibere velimus , praeferendam esse praxin Bathier, cujus formulam ita refert Burserius = R. Pulv. sabinae gr. xv. mercur. dulc. gr. x. ol. tanacet. g. xii. syr. flor. persic. q. s. m. f. bolus , cujus dimida pars detur mane , altera vespere ; et desuper hauriatur cyatus vini in quo nuclei persicorum per hor. xii. fuerint macerati = Nostris vero temporibus probatur radix granati sylvestris. Chevallier antea praebet oleum ricini et syrupum mali medici ; deinde decoctionem radicis granati. Duae unciae hujusce radicis per viginti quatuor horas in duabus libris aquae communis macerentur; mox ebulliant ad unius librae reductionem. Haec detur mane tribus vicibus, interposito dimidiae horae intervallo. Post secundam vicem movetur vomitus; post tertiam egestiones cum vermis exitu. Dosis vero duarum unciarum radicis granati saepe commovet abdominis dolores , et vehementem vomitum. Hinc tutior ratio mihi videtur, praemittere oleum ricini cum aliquo sy-

rupo, et deinde per tres dies eandem decoctionem eodem modo porrigere, sed uncia cum dimidia radicis granati paratam. Ita pluries absolutam vermis exclusionem obtinui; sed interdum hoc mihi prospere non successit. Idcirco de hoc remedio repetendum est, quod Cl. meus Collega Jac. Folchi Vol. II. mat. med. compend. pag. 145. ita judicavit = Quapropter concludendum est, inter auxilia, quae ars medica possidet ad dictum vermem exturbandum, non ultimum tenere locum illud, de quo hactenus loquuti sumus. = Alii tandem proponunt oleum crotonis, ut ad expellendas taeniae valentissimum. Sed cum nullum adhuc certum remedium inventum sit, si unum irritum accidat, aliud usurpetur. In vermes autem cysticos imparia sunt artis auxilia; et curatio, si qua sit, semper aequalis est. Ita enim efficere conamur, ut horum vermium vita extinguatur remediis, quae stimulant, et agunt praesertim in lymphaticum systema, et universaliter roborant, ut scilla, digitalis purpurea, murias barytis, sodae, antimonialia, cantharides, flores sulphuris, carbonas ammoniacalis fluidus, col-

chicum autumnale, helleborus niger, gratiola officinalis, rhus toxicodendron, praeparationes martiales, cortex peruvianus, etc. Sed medicamentis magis succurrit diaeteticum regimen, ut optima alimenta, et concoctu facilia, modicus vini usus, et corporis exercitatio, purus aër, domicilium salubre. Verum si hujusmodi vermes in visceribus subsint, ut cysticercus in cerebro et corde, quorsum haec? Interdum echinococcus sponte cum aegri sanatione per os et anum exit. Improbant auctores horum vermium saccum aperire, etsi id peragi posset; nam consequeretur mors. Idem de veris hydatidibus dicendum est, quarum cystides sponte rumpuntur, et per anum, aut per oesophagum, aut per tracheam, aut per vaginam aquae egrediuntur. Postremo dum nobis persuasum est, praesertim curiosa muci intestinali observatione, existere chaos infusorium intestinale, purgantia et anthelminthica administranda sunt.

GENUS SECUNDUM

Corpora cartilaginea et ossea in articulationum capsulis.

§. 1313. Aliquando intra capsularia articulationum ligamenta componuntur corpora, quae naturam ferme cartilagineam et osseam objiciunt, et in ipsis articulationibus dolorem pariunt, motusque impediunt. Haec corpora varia sunt quoad figuram, volumen, numerum, structuram, consistentiam, situm; ut plurimum mobilia, laevia, synovia illita, unde libere ex una in aliam articulationis partem transferuntur; sed interdum adhaerentia. Modo sunt rotunda, modo ovata; modo exigua, majoribus magis molesta; modo in eadem articulatione unicum corpus, modo plura sunt. Morgagni viginti quinque exigua corpora in genu articulatione; viginti Haller in illa maxillae reperiit. Persaepe non offerunt nisi massam; sed interdum pluribus lobis insimul junctis constant. Nunc cartilaginea sunt; nunc in cen-

tro ossea, et ad ambitum cartilaginea; nunc penitus ossea; nunc a molli et cellulosa substantia composita, quae crusta cartilaginea involvitur. Interdum dura sunt, interdum mollia, siquidem eorum nucleus quandoque cellulosus est. Plerumque haec corpora in genu articulatione adinveniuntur; sed subinde in reliquis articulationibus. Confundenda autem non sunt cum calcareis concrementis, quae in articulationibus illorum effinguntur, qui arthritide laborant, et quae in ipsis articulationibus nodos sistunt, et interdum sponte egrediuntur.

§. 1314. Haec aegritudo descripta non fuit a veteribus, etsi non infrequens. Observat Boyer Tom. IV. cap. XVIII. quod eam primus exaravit Paraeus; deinde elapsis centum triginta annis Pechlin; et successu temporis alii plures. Diagnosis fere aperta est. Symptomata, quae de horum corporum existentia testantur, aut aliis morbis communia sunt, ut partium tumor, dolor plus minusve molestus, praepediti motus; aut propria. Crebro haec corpora post lapsus aut ictus generantur, et tum in primis obser-

vatur tumor in locis, quae articulationibus adjacent; et cum haec loca detumescunt, sentitur dolor in articulationibus modo plus modo minus gravis. Cum autem sine lapsu aut ictu hujusmodi substantiae congeruntur, vexat dolor cum aliquo viciniarum tumore; et interdum percipitur dolor, quin ullus compareat tumor. Sed in omnibus casibus quaedam prodeunt propria signa. Cum haec corpora mobilia sint, ex una in aliam articulationis partem facile transferuntur; eo magis quia laevia sunt, et synovia abundat. Quocirca modo in uno, modo in alio loco deprehenduntur tactu. Si in genu articulatione extent, nunc in externo, nunc in interno latere persentiuntur; sed saepius in hoc, quod magis latum est et deflexum, magisque laxa articulationis capsula. Et quoniam haec corpora dura et laevia positionem mutant, modo nullam molestiam, modo immites dolores commovent. Si enim in locis ponantur, ubi nullam incommodam pressionem edunt, omnes conticescunt molestiae; et cum illic diu maneant, nascitur fallax sanationis spes. Cum enim motu partium si-

tum transferant, implacabiles aliquando renovantur dolores.

§. 1315. Horum corporum formationem exponere arduum est. Auctores non exhibent, nisi conjecturas, quae vix aliquem probabilitatis gradum merentur. Etenim quidam a refixis partibus cartilaginum articularium efformari arbitrantur; sed interdum haec corpora ossea omnino sunt: alii ab abundanti textu synoviali articulationis genu; sed in articulationibus, in quibus hic textus non redundat, ubi invenietur origo? alii ab unione molecularum substantiae, quae continetur in synovia, non secus ac calculi, qui componuntur ab elementis, quae in urinis extant; sed quamvis chemica compositio synoviae non satis adhuc perpensa sit, tamen credere aequum est, ejus elementa non tam esse, ut illa lotii diversa, et ideo quomodo harum substantiarum structura adeo dissimilis explicabitur?

§. 1316. Si generatim hic morbus consideretur, non portendit discrimen; sed saepe admodum molestus est, graves dolores excitat, et articulationum motus im-

pedit. Et cum in genu articulatione contingat, talia saepe parit incommoda, ut chirurgicam operationem exposcat, qua extraneae substantiae extrahi solent. Periculosa vero sunt quae hujusmodi operationem consequuntur; nam semper grave urget periculum in vulneribus articulationis tam spectabilis, ut illa genu est. Hinc alias medendi rationes tentarunt practici, ut illa fasciarum, et compressionis. Gooch et Boyer experti sunt compressionem; et quamvis hujusce methodi eventus dubius sit, tamen quia nocumentum non affert, prius tentanda est, quam peragatur operatio, quae ad extrahenda corpora conducit. Haec autem operatio a Boyer, aliisque rerum chirurgicarum scriptoribus accurate describitur.

GENUS TERTIUM

Calculi.

§. 1317. In omnibus fere humani corporis partibus sive solidis, sive fluidis, effingi possunt calculi. Inveniuntur enim in vasis cerebri, plexibus choroideis, meningibus, sinubus, glandula pineali; oculis, sacco lacrymali, glandulis lacrymalibus; naribus; auribus; sub lingua, glandulis salivalibus; pulmonibus, glandulis bronchialibus; substantia cordis, ejusque ventriculis, et valvulis; aorta, aliisque arteriis; ventriculo, et intestinis; pancreate; liene; omento; glandulis mesentericis; hepatis parenchymate, vesicula fellis, ductu hepatico, cystico, choledoco, vena portarum; renibus, eorumque venis, ureteribus, vesica urinaria, urethra, ejusque glandulis; utero, tubis Fallopii, secundinis, et foetu adhuc utero clauso: sic interdum reperiuntur inter ipsas membranas, ut vesiculae fellis; inter membranas et viscera, ut inter pleuram et pulmo-

nes ; in superficiebus cavitatum , ut in illa interiore pericardii , quae aliquando calculosa crusta obducitur; in magnis cavitatibus, ut in illa abdominis; in pinguedine; in tendinum vagina , in articulationibus ; circa dentes ; etc. Elementa igitur calculorum extant in sanguine , sudore , saliva , lacrymis, cerumine aurium , muco , chylo, lacte, lympha, semine , adipe, et praesertim in urinis. Pro diversis autem partibus , quas occupant calculi , varia surgunt foenomena , et saepe gravissimae aegritudines , ut si sint in glandulis salivalibus et in illis gutturis , ptyalismus, angina , dysphagia ; si in glandulis bronchialibus, tussis, dyspnoea, haemoptysis, phthisis; si in glandulis mesentericis, consumptio , febris hectica ; si in meatu auditorio, βαρυηκοία scilicet auditus gravitas , aut κόφωσις seu surditas; si circa dentes, δυσοδία idest foetor , lapsus dentium , eorumque radicum caries; si in stomacho , gastrodynia; si in intestinis , ileus ; si in hepate , vesicula fellis , ductibus biliferis , hepatalgia , hepatitis, icterus; si in renibus nephralgia, nephritis ; si in ureteribus , inflammatio , im-

peditus lotii transitus; si in vesica urinaria, enuresis, haematuria, ischuria, dysuria; si in utero, hysteralgia; etc. Non semper vero calculi tam gravia parturiunt incommoda; quin interdum minime molestant, aut quia sunt parvi voluminis, aut immobiles, aut laeves, et non angulares. Adinveniuntur interdum in vesicula fellis illorum, qui viventes nunquam laborarunt ictero; sic interdum in glandulis bronchialibus illorum, qui nunquam tussi, nec spiritu gravi conflictabantur. Pericula, quae inferunt calculi, cognoscuntur a partibus, quas ipsi tenent, a symptomatibus, morbisque secundariis. Interdum facile extrahi possunt, ut illi meatus auditorii; interdum excreatu exeunt, ut illi glandularum bronchialium; aut vomitu, ut illi stomachi, et nonnunquam calculi fellei, qui etiam per anum, ut illi intestinorum discedunt. Sic aliquando sponte egrediuntur calculi articulationum in arthriticis; et cum urinis exigui calculi frequenter exsiliunt. Curatio calculorum in his extrahendis, et si fieri potest dissolvendis, et in demulcendis symptomatibus tota consistit. Et cum

a calculis alii proficiscantur morbi, ut dolores, inflammationes, etc; secundum praecepta tradita curandi sunt. Sed quia inter calculos frequentiores sunt fellei, et urinarii, de his praesertim sermonem habebimus.

§. 1318. Calculi fellei in substantia hepatis, cystide fellea, ejusque membranis, et ductibus biliferis efformantur. Multas quoad formam, magnitudinem, colorem, consistentiam, substantiam, numerum, varietates proferunt. Sunt enim rotundi, ovati, cubici, cylindracei, quadrati, polygonii. Cum plures reperiuntur in cystide fellea diversas habent facies, quae in earum contactu sibi invicem respondent. Modo non superant grani hordeacei magnitudinem; modo ad illam ovi columbini perveniunt, et etiam amplius. Sunt lutei, albidi, cinerei, nigricantes, nigri, subvirides, variegati. Nunc duri sunt, nunc molles, saepe friabiles, et ex facili in pulverem tactui unguinosum resolvuntur. Quamvis in hominibus calculi fellei ut plurimum quasi penitus a cholesterina efformentur, interdum tamen alia prin-

cipia ad eorum compositionem concurrunt, ut modo videbimus. Nonnunquam haec principia super aliquid coactae bilis per lamellas apponuntur, et hoc modo haec concrementa constituuntur. Interdum calculi fellei praesertim in ductibus biliferis soli sunt, interdum plures, maxime in cystide fellea, ubi si quibusdam auctoribus fides habenda sit, ad plura millia quandoque pervenerunt. Ut plurimum aqua leviores sunt, qua natare conspiciuntur. Alcohole, alcali caustico, oleo terebinthinae, aethere vitriolico potissimum solvuntur.

§. 1319. Plerumque calculi fellei, ut exposuit Berzelius, cholesterina et materie coloranti componuntur, quae diversis proportiouibus insimul junguntur. Haud vero rarum est, eos condensatum felleum mucum, et exsiccatam bilem continere. A varia materiei colorantis quantitate, et ab ejus colore, dissimilis color calculorum felleorum dependet. Et quoniam in hominem hujusmodi calculi fere omnino cholesterina conflantur, hinc saepe albi sunt et crystallini. Dissolvuntur ab ebullienti alcohole, et saepe

nucleum ex felleo coagulato muco, et materia colorifica relinquunt. Si cum alcohole calculorum felleorum pulvis ebulliat, et solutio percoletur, ab hac refrigeratione desidit cholesterina sub crystallinorum foliorum forma. Verisimile est, in perfrigerato alcohole saepe adipem, et acida pinguia contineri. Cum nihil aliud ab alcohole dissolvitur, debili lixivio potassae causticae tentatur residuum, in quo materies colorifica, felleus mucus, et coactum albumen liquefit. Acido acetico dissolutione nimium saturata, materies colorifica, et mucus felleus praecipitant, et ab hac praecipitatione materies colorifica acido acetico concentrato extrahitur. Albumen in dissolutione contentum, posteaquam desederit, cyanuro ferreo-potassico detegitur. Interdum in cholesterina, et materie colorifica magna quantitas phosphatis et carbonatis calcici reperta fuit. Alia extat calculorum felleorum species admodum rara, minusque cognita. Hi praecipue constare videntur carbone; siquidem extracta dissolventibus, ut aqua, alcohole, aethere, acidis, alchalibus, exigua

quantitate materiarum solubilium, in ipsis remanet insolubilis substantia, quae omnibus proprietatibus carbonis scatet.

§. 1320. Si calculorum felleorum signa disjuncte considerentur, nullum iudubium est, si excipiantur vomitus, et dejectiones, in quibus continentur calculi ipsi. Etenim pondus, dolor qui ad cartilaginem ensiformem extenditur, icterus, etc. interdum desunt, et ubi non desunt, aliis tribui possunt caussis! Si calculos suspicione attingamus, curiose faeces examinandae sunt; et ubi reperiuntur calculi, inquirendum est, an fellei sint, vel intestinales. Praeterea meminisse juvat, non semper a calculis felleis icterum produci; cum scilicet ipsi bilis cursum non impediunt. Sed cum moventur, et irregulares sunt et asperi, et angulati, tunicas vesiculae fellis, ductuumque lacessunt, et hinc excitantur in dextro hypochondrio acutissimi dolores, aliaque pathemata a nervorum fere consensu, ut vomitus, cardialgia, sublatio et distensio abdominis, vertigines, spasmi, pulsus parvi, asthma, extremitatum frigus, convulsiones, lipothymiae, icterus,

vasorum haemorrhoidalium turgor, faeces decolores et siccae. Post vero hujusmodi tormenta, exhaustis viribus, per aliquod tempus consequitur quies. Sed si remaneant calculi, iidem renovantur cruciatus. Interdum calculi arctas bilis vias superant, et in intestina ingrediuntur, faecibusque immiscentur; et dum libere praeterfluit bilis, dejectiones biliosae succedunt, cum quibus exeunt calculi. Si alii non subsint, redit valetudo; licet si extet ad haec concrementa dispositio, rursus efformantur. Generatim icterus a calculis productus intolerabilem hypochondrii dextri dolorem excipit, qui colicam hepaticam constituit, quae etiam ab aliis caussis oritur, ut a densitate et acritate bilis.

§. 1321. Qui sunt provectae aetatis, cholerici, tristes, laxae temperiei, et vitam sedentariam vivunt, caeteris magis calculis felleis laborant; et foeminae magis hominibus. Caussae vero excitantes non expedite praefiniuntur; et quidquid de quibusdam alimentis et potionibus dicitur, fundamento caret. Sunt enim qui assidue substantiis farinulentis, viscosis, acidis utuntur; tamen

hisce concretionibus obnoxii non sunt. Potius arbitror, a morbosa bilis mutatione hujusmodi concretiones oriri, ex qua materiarum insolubilium depositiones deducuntur, quae ut in crystallisationibus superponuntur. Et etiam fieri potest quod coagulata bilis basim offerat, super quam materiarum insolubilium lamellae deponuntur.

§. 1322. Ex dictis liquet quam fellei calculi periculosum morbum sistant; sed longe majus est discrimen, si frequenter acutissimi dextri hypochondrii dolores excrucient. A tot enim irritationibus hepatis, vesiculae fellis, ductuum biliferorum inflammatio, suppuratio, gangraena suscitantur. Et quamvis cum faecibus egrediantur calculi ob permanentem ad eos proclivitatem, recidiva timenda est. A frequentibus autem dolorum, aliorumque symptomatum paroxysmis, extenuantur vires, pervertuntur functiones, et non raro ascites, aut anasarca sequitur. Tandem animadvertendum est, quod calculorum solventia cognoscimus, cum illi extra corpus existunt; sed cum in hepate, cystide fellea, aut ductibus haerent,

quomodo solventia per haec loca actionem suam poterunt extendere ? Etsi autem haec remedia aliquam utilitatem afferant, tamen calculorum resolutio difficillima est.

§. 1323. Nobis curandum est, ut calculi fellei cito exeant, et si fieri potest dissolvantur. Quo igitur facilius viarum angustias pervadant, necessaria apprime sunt fomenta et clysteres emollientes, semicupia, balnea, unctiones oleosae. Si haec ad flectendos spasmos non sufficiant, adhibenda sunt quae eos sedant, ut modica laudani liquidi dosis, dummodo non adsit febris. Praeterea ut promoveatur calculorum excretio, aliqua levis purgatio identidem convenit, ut oleum ricini, rhabarbarum, cremor tartari. Deinde ad ea veniendum est, quae ad dissolvendas concretiones felleas contribuunt. A levioribus incipiendum; mox ad efficaciora transeundum, et eodem tempore diaeteticum regimen accuratissime dirigendum est. Resolventia judicantur extracta, succi recentes, et decoctiones graminis, taraxaci, cichorii sylvestris, etc; maturi fructus horaei; aquae minerales acidulae, sali-

nae; gummi ammoniacum; sapo venetus; tartarus solubilis; radix pareyrae bravae; tinctura salis tartari; spiritus vini cum oleo terebinthinae; aqua calcis; celebris mixtura ex tribus partibus aetheris sulphurici, et duabus spiritus terebinthinae, quae praemissis per aliquot dies emollientibus et solventibus, datur matutinis horis cum sero lactis, aut jure vitulino, aut decoctione cichorii ad scrupulos duos. P. Franch spiritum terebinthinae ob ingratum saporem excludebat, et solum aetherem sulphuricum cum modica dosi tincturae anodynae administrabat; sed ut ipse asserit ad dissolvendos calculos nunquam pervenit. Quidam proponunt mercurium ad salivationem usque. Ego autem longa experientia observavi, nihil magis expedire, quam assiduus usus vegetabilium aperientium, balneorum emollientium, rhabarbari, gummi ammoniaci, saponis veneti, terrae foliatae tartari, praedictarum aquarum mineralium, et accuratum diaetae regimen. Si vero usque ab initio excitatur febris, tensio et dolor in hepatis regione, prompte fiant venae sectiones, et hirudines dextro hypochondrio, et

haemorrhoidalibus vasis applicentur, et omnia non negligantur, quae pro hepatis inflammatione conveniunt. Sic si ab initio gastricarum saburrarum appareant signa, in primis leves purgationes, et emollientes clysteres expediunt. Ne autem magis partes a calculis lacessitae irritentur, nunquam usurpentur emetica, ut experientia, et scriptorum admonet auctoritas. Sed ad calculos urinarios descendamus.

§. 1324. Calculi urinarii ob multiplicia elementa, quae in urinis continentur, frequentissimum in hominibus morbum constituunt. Et propter horum elementorum quantitatem, mirum est, ut inquit Richerand, ne sint communiores. Observavit Boeraahve, in urina sanorum hominum, post aliquot horas reddita, contineri atomos, qui visibiles fiunt sub arenarum forma diversi coloris, quibus calculi nativi nomen impertiri propendet Van-Swieten, quo nemo immunis est. Exigui calculi, qui in urinae organis efformantur, paullatim augentur; siquidem calculosa elementa ipsis adnectuntur. Hoc modo majoribus factis calculis, deprehen-

ditur, ipsos pluribus componi stratis, quae invicem superponuntur; et in centro habere nucleum aut ipsius materiei calculorum, aut alterius, qui a stratis regularibus non constituitur, quorum scilicet unum alteri adjiciatur. Quodvis solidum corpus calculis offerre potest nucleum, circa quem salium concretiones desidunt, quae in urinis continentur. Mucus, lympha, coactus sanguis urinae arenulis mixtus, effingere potest nucleum. Sic extranea corpora in vesicam urinariam immissa. Tamen reperiuntur calculi, in quorum centro nucleus deest. Quandoque enim, sicut laudatus Richerand considerat, densatus mucus, aut sanguinis grumus, qui calculis basim suppeditat, tractu temporis evanescit. Calculi autem urinarii multum inter se differunt, quoad chemicam compositionem, numerum, figuram, duritiem, modum quo extant in diversis partibus, pondus, volumen, superficiem, colorem, sedem. Infra observabimus elementa, quibus componuntur calculi, qui aut soli sunt, aut plures; aut rotundi, aut ovati, aut angulares; modo duri, modo friabiles; nunc li-

beri, nunc superficiei organorum adhaerentes; eorum pondus aut est aliquot unciarum, aut libram superat; etiam volumen modo plus modo minus spectabile; superficies levis, aspera, tuberosa, spinosa; color albus, fuscus, subflavus, cretaceus; sedent in renibus, ureteribus, vesica urinaria, urethra, prostata, praeputio, idque evenit, cum adsit phimosis. Et cum harum partium suppurationes, erosiones, perforationes contingant, possunt calculi in vicinias transire. Haec diversa calculorum sedes a peculiaribus symptomatibus detegitur, de quibus modo dicendum est.

§. 1325. Calculorum renalium diagnosis non semper perspicua est. Interdum enim hujusmodi calculi occulti manent, nec nisi post mortem aperiuntur; aut deficiunt praecipua signa, vel parum dilucide apparent; aut renes aliquo affectu laborant, qui eadem infert symptomata. Tamen caussarum indago, et symptomatum congeries, ut plurimum de calculorum renalium existentia nos faciunt certiores. Hi raro in utroque rene, sed fere in sinistro sunt. Hujusce foenome-

ni ratio adhuc abscondita est. Quidam credunt, id evenire quia propter majorem curvaturam coli sinister ren a retentis excrementis prematur; sed cur homines quarundam regionum calculis renalibus immunes vivunt? cur quibus alvus est firmiter adstricta calculi frequentiores non sunt? Alii quia vena renalis sinistra dextra longior in venam cavam sanguinem lentius transvehit; sed cur calculi in omnibus regionibus familiares non sunt? alii quia plures habitudinem habent in sinistrum latus decumbendi; sed cur plurimi afficiuntur calculi, ex quibus pauci in sinistrum latus jacent? Ergo fatendum est, hoc foenomenon non esse intellectum. Inter symptomata, quae in renibus calculos subesse declarant, est dolor in eorum regione, qui modo obtusus, modo asper est. Cum enim calculi sunt rotundi et leves, ut plurimum dolor obtusus est; cum sunt scabri, angulosi, acuminati, dolor gravis est et acutus; cum sunt ingentes, sed leves, non solum adest obtusus dolor, sed etiam ponderis sensus. Cum calculus in uno fere abscondatur rene, dolor in parte affecti renis

percipitur. Et in hac eadem parte sub dolorum spasmorumque paroxysmo, plura observantur, ut retractio testis versus abdominalem anulum, torpor, dolor, spasmus, tremor, et interdum oedema femoris et cruris; quae a nervorum consensu nascuntur, et a tumefactis renibus, unde comprimuntur musculi psoae, per quos nervi lumbales descendunt; et ex quibus crurales proveniunt. Dolor autem per plures caussas aut mansuefit, aut exasperatur. Placatur enim, si aeger in affectam partem jacet; exacuitur, si in oppositam: mitior fit quiete, et cum stomachus vacuus sit; asperior motu, et post assumptum alimentum. Minores calculi paroxysmum nephriticum saepius commovent, qui dum ureteres pervadere tentant, acerbissimos excitant dolores, qui deinde cessant, et interdum improviso; siquidem a spastica constrictione ureterum in renum pelvim retruduntur. Dolores igitur a renum calculo possunt per intervalla evanescere et renovari. Aliquando evenit quod dolores per longum temporis spatium non exercent, etsi subsit calculus; aut quia rami nervosi stu-

pent, aut substantia renum callosa fit, et arcte calculum circumplectitur. Interdum per nervorum consensum ad alias partes extenduntur tormenta aliosque simulant morbos, ut pleuritidem, si dolor lateri pectoris; colicam, si abdomini figatur. Etiam interdum dolores non sentiuntur in rene ubi calculus sedet; sed in vesica urinaria, et hinc dysuria, et stranguria sequitur. Dum calculi stant in utroque rene, praeter dolores in regione utriusque renis, angit urinae suppressio. Dum calculorum cruciatus ferociunt, urinae sunt praeparcae, pallidae, aquosae; sed mox abundantes fiunt, turbidae, densae, sanguinis striis mixtae, et interdum materiem albam, puriformem, foetidam abjiciunt. Urinae dum in renibus abduntur calculi, dimittunt etiam arenulas. Haec calculorum indicium faciunt, si post urinam redditam desidunt; si compressae digitis non facile comminuuntur; idque observare expedit, sicut Burserius, aliique practici monent. Hujusmodi enim qualitates non deprehenduntur in arenulis symptomaticis, ut in illis affectionis scorbuticae, et hypochondria-

cae. Oportet etiam animadvertere, plures homines, quin calculis renum, vel vesicae laborent, cum urinis emittere arenulas, quae deponuntur, et praedictas qualitates habent. Ergo renulae non sunt calculi indubium signum; sed semper calculosam dispositionem indicant. Si vero praeter dolores ad regionem renum, et arenulas, exigui calculi cum urinis detrudantur, nec desint alia calculorum renum symptomata, tum diagnosis indubia est. Propter insignem consensum inter renes et stomachum, et intestina, inter symptomata recensentur nausea, vomitus materiarum biliosarum, spasmi, dolores abdominis, tenesmus, et interdum alvus adstricta. Inter vero consensualia foenomena, speciatim stomachi dolor adnotandus est, qui interdum ad cordis scrobiculum extenditur, quin alia intersint signa, ut videre est in historia a Morgagni tradita Epist. 42. n.° 13. Non solum calculorum dolores, sed etiam alia pathemata acerbiora fiunt, si in diaetetico regimine patrentur errores; si crucient animi affectus; si curru per inaequales et lapidosas vias habeatur iter; quo in casu saepis-

sime urinae cruentae reddantur. Expositorum symptomatum congeries majus acquirit pondus, si aegrotantes patiantur podagram, et in eorum familiis haereditaria sit diathesis calculosa. Si calculis renalibus implicantur pueruli, non solum a pluribus ex descriptis symptomatis corripiuntur, sed etiam frequentissime evomunt, assidue plorant, jactantur, contorquentur, et cum lumborum regio comprimatur, acerbus movetur dolor. Plures autem et graves sunt calculi renalis successiones, ut inflammatio, suppuratio, exulceratio, consumptio substantiae renum, febris lenta, convulsiones, aliique nervosi affectus, hydropes, et in gravidis abortus. Modo in cadaveribus reperiuntur renes praeter modum aucti, modo maxime imminuti; eorum pelvis dilatata; substantia flaccida, subinde perfossa calculo.

§. 1326. Cum calculi renum in ureteres penetrant, secus ipsos acerbissimi aggrediuntur dolores, praesertim si calculi sint inaequales, scabri, angulares. Propter maximam difficultatem transitus, praeter dolores qui nullo positu flecti queunt, alia conci-

tantur symptomata, ut horrores, spasmi, convulsiones, singultus, vomitus, retractio testis, femoris stupor, gravis spiritus, sudor frigidus, febris, ructus, borborygmi; urina praeterfluere non potest, et cum calculi sunt in utroque uretere, non amplius urina in vesicam urinariam delabitur, quae immisso cathetere vacua invenitur; affecta regio tumefit; facies rubet; scintillant oculi; arteriae temporales vehementer pulsant, ut et cor: supprimuntur secretiones. Omnia haec, aut pleraque persistunt donec calculus in vesicam descendat, dummodo aeger propter gravitatem symptomatum non expiret. Sed pathemata longe mitiora sunt, si exigui et laeves calculi sint; quamvis interdum etsi parvi, et ipsae arenae gravissime affligant. Generatim mitigantur dolores, cum calculus ex angustiori loco in ampliorem transcendat; sed iterum exasperantur, si angustiorem tractum pervadere tentet, qui prope vesicam est. Saepe calculus hoc in loco consistit, et cum in vesicam non delabatur, urinae transitus impeditur.

§. 1327. Delapso in vesicam calculo, ob majus spatium desinunt dolores; sed incipiunt sensus ponderis, aliquod impedimentum in urinis reddendis, frequens mejendi stimulus. Non semper vero vesicae calculus provenit a renibus; sed interdum generatur in ipsa. Nunc unus, nunc plures existunt calculi, et tum ut plurimum minores sunt. Interdum duo sunt, et non raro etiam tres. Calculus autem modo liber est; modo intimae membranae vesicae adhaerens; modo absconditur inter hujusce cellulas, aut inter sinus vesicae biventris. Aut calculus veniat a renibus, aut in vesica formetur, paullatim augetur, et tum magis sentitur sensus ponderis ad parinaeum, et majus est mingendi impedimentum, et saepe urinae cursus abrumpitur, quia ad vesicae collum fertur calculus. In quibusdam positionibus facilior est urinae exitus, ut cum aeger anterius incurvus sit, aut supino corpore jaceat; siquidem calculus a vesicae collo recedit, et urinae fluxui non opponitur. Interdum calculus diu extat in vesica, quin gravia afferat incommoda; sed interdum cito

promovet vesicae, regionis pubis dolorem. Quandoque tam augetur calculus, ut admodum distendatur vesica, ejusque partes irritentur, et immites suscitentur poenae. Sub harum paroxysmo cientur nausea, vomendi desiderium, et ipse vomitus; in quibusdam turgent testes, et scroti cutis corrugatur; vexat tenesmus, et sub inanes dejiciendi nisus saepe prolabitur anus, praesertim in pueris, ut et in mulieribus vagina; et ubi hujusmodi nisus inanes prorsus non sunt, paucae et globosae faeces egeruntur. Tempore quo urget stimulus exonerandi alvum, jungitur etiam ille urinas reddendi. Adest pruritus et dolor glandis; frequens est penis rigiditas, sed non absoluta erectio; contingunt involuntariae pollutiones nocturnae; frequens urinae stillicidium; corporis motus in vesica, maxime sub saltu. Urinae autem modo clarae sunt, et non foetentes; modo rubrae et ardentes; modo arenulis, aut materiis mucosis, purulentis, foetidissimis refertae, et crebro striis sanguineis immixtae. Haec acuuntur equitatione, cursu, vectione; et urinae cruentae fiunt. Non semper

vero omnia prodeunt descripta symptomata; et etiamsi prodeant, non semper satis indubia sunt; siquidem a colli vesicae scirrho, aliisque tumoribus proficisci possunt. Sed cum incerti simus, catheter adhibendus est. Interdum vero etiam catheter fallax est; nam aut aberrat a calculo, aut hic parvus est, aut inter sinus vesicae biventris absconditus. Ubi igitur cathetere non sentitur calculus, cum hujus appareant signa, oportet digitum in anum, aut in vaginam mulierum immittere. Plura autem sunt perniciosa mala, quae a vesicae calculo ortum habent, ut inflammatio, suppuratio, exulceratio, febris lenta, consumptio, gangraena, et terebratio, si calculus acutus sit. Quandoque vesica minuitur, contrahitur, et arcte complectitur calculum; quandoque illius parietes turgent, et admodum crassescunt.

§. 1328. Urethrae calculi aut vesica descendunt, aut in ipsa urethra congeruntur. In utroque casu nisi expellantur, vel extrahantur, paullatim crescunt, et subinde ad insigne volumen perveniunt. Hi calculi in variis urethrae locis sedent, nimirum aut

in fovea naviculari, aut in recto ipsius tractu, aut secus curvaturam, aut in ostio et vesicae collo. Interdum calculus pertundit urethram, et ita in corporibus cavernosis, et etiam in glande se abdit, ut cathetere deprehendi non possit. Quoniam urethra canalis adeo sensilis est, symptomata calculi, qui in ea subest, dolores sunt et spasmi, tenesmus, et retenta urina. Non raro autem excitatur inflammatio, suppuratio, gangraena. Aliquando urethrae parietes, ubi calculus sedet, densiores fiunt. Cum urethrae calculi sint parvi, leves, rotundi, facile possunt exilire; sed si irregulares, et acuminati, ferociora inducunt symptomata. Leguntur exempla calculorum urethrae, qui cum essent laeves, diu extiterunt, et etiam creverunt, quin urinae transitum impedirent; nam aut ad eorum latera conficiebantur sulci, aut in eorum media parte perforabantur. In urethrae suppurationibus calculus morbosam et saepe fistulosam viam premit et interdum delabitur in scrotum. Cum calculus in urethrae tractu maneat, tumor durus et renitens persentitur, et ille cathetere facile

tangitur. Nullo etiam negotio inter vesicae collum et urethrae bulbum consistit calculus, praesertim in illis, qui lithotomiam perpessi sunt, cum haec canalis portio jam vigorem amiserit, sicut animadvertit Ill. Neapolitanus auctor de morbis vesicae urinariae, etc.

§. 1329. Etiam in substantia prostatae inventi sunt calculi; sed raro. Horum calculorum origo esse potest urina, si ubi prostata urethrae canalem amplectitur, decorticationes, et exulcerationes fiunt; sed ubi non adsunt laesiones vix ut inquit P. Franch in suspicionem adducimur, originem esse urinariam. Cum prostata afficiatur calculo, tumet, et urethrae canalem angustat; sed hic tumor etiam ab aliis causis oriri potest, et ideo horum calculorum diagnosis obscurissima est. Tamen cum calculus prostatae existat, si introducatur catheter, in situ glandulae invenitur obstaculum, et quidam editur sonus, ex quo in ipsa durum et callosum corpus arguitur. Rari etiam sunt calculi, qui interdum reperti sunt in orificiis vasorum, quae emittunt semen; et ex qui-

bus impediebatur ipsius projectio, et sterilitas consequebatur. In illis autem qui laborant phymosi, cum urina libere fluere non possit, in praeputio componuntur calculi. Hi variam exhibent formam, et interdum glandem ambiunt. Afferunt dolores, et eo magis lotii exitum impediunt, quem interdum omnino prohibent. Ex facili tactu, et specillo deprehenduntur. Si prompte operatione ad phymosin non extrahantur, inflammationem, et gangraenam inducere valent.

§. 1330. Ante Scheele componentia calculorum urinariorum ignorabantur. Ipse in hisce calculis acidum particulare detexit, quod vocavit lithicum, et mox in urinis ipsis pervestigavit. Deinde hoc acidum dictum fuit uricum. Postea Bergmann calculum urinarium invenit phosphatibus compositum. Quinque species descriptae fuerunt a Wollaston, quae constituuntur ab acido urico; a phosphate calcis; a mixtura hujusce salis et phosphate ammoniacae et magnesiae, et ejusmodi calculi fusiles sunt; a phosphate ammoniacae et magnesiae puro; ab oxalate calcis, et ejusmodi calculi moriformes sunt.

Paullo post Fourcroy et Vauquelin analysi plus quam 600. calculorum demonstrarunt, eorum constituentia esse acidum uricum, uratem ammoniacae, phosphatem calcis, phosphatem ammoniacae et magnesiae, oxalatem calcis, et in nonnullis casibus silicem. Haec materialia aut sola, aut inter se mixta, animali substantiae semper junguntur. Hinc Fourcroy in tria genera divisit calculos, scilicet in illos ex una substantia compositos cum materia animali, quae conjungit moleculas; in alios duabus substantiis instructos; et tandem in illos, qui plus quam duabus substantiis, et saepe quatuor constant. In hisce generibus duodecim species complexus est, quarum tres ad primum genus; septem ad secundum; duae ad tertium pertinent. Fourcroy igitur et Vauquelin easdem cognoverunt substantias a Wollaston detectas; sed plus uratem ammoniacae, et in duobus calculis silicem. Unus ex hisce non continebat, nisi minimam quantitatem silicis; alter nucleum habebat, calculo moriformi similem, compositum 0, 66 silicis, et 0, 34 materiei animalis. Posthac

Prout in humanis vesicae calculis carbonatem calcis invenit. Wollaston ann. 1810. aliud reclusit principium, quod acidum cysticum vocavit etiam a Marcet, aliisque pluribus adinventum. Oxydum autem cysticum Wollaston, cystinam appellavit Berzelius. Dein Marcet aliam patefecit substantiam, quam ipse dixit oxydum zanticum; et etiam aliam fibrina sanguinis instructam. Tandem Lindbergson in urinario calculo uratem sodae, et carbonatem magnesiae adinvenit.

§. 1331. Divisio urinae sediminum, quam instituit Prout, caeteris accuratior est. Ipse enim haec distribuit sedimina in pulverulenta, vel amorpha; in crystallina, quae vulgo arenulae nuncupantur; in calculos, qui ab iisdem sediminibus efformantur. Sedimina pulverulenta existunt fere semper in urina solutionis statu, antequam ejiciatur, et etiam post, donec frigescere incipiat; nam sub forma subtilis pulveris tum desidunt, cujus particulae crystallinae non videntur. Hujusmodi sedimenta lithatibus ammoniacae, sodae, calcis constant, et interdum phosphatibus terreis componuntur. Respondent

forsan Boerhaavianis atomis, aut calculo nativo Van-Swieten. Sedimina autem crystallina persaepe sub forma parvorum granorum angularium, aut crystallorum expelluntur, qui conflantur aut acido lithico fere puro; aut phosphate magnesiae et ammoniacae; aut oxalate calcis. Crystalli ex acido lithico frequentiores sunt; illi ex phosphate magnesiae et ammoniacae sunt fere albi; alii ex oxalate calcis rari sunt, et colore obscuro-viridi, et subnigro tinguntur. Cum haec crystallina sedimina exiguorum granorum angularium formam habeant, comprehenditur quare arenulae illorum qui laborant calculis, scateant qualitatibus a Burserio descriptis; et interdum acerbos dolores cieant. Haec sedimina frequenter sunt nucleus lentae depositionis substantiarum parum solubilium, quae in urinis continentur; unde ex diversis substantiis componitur calculus, quae invicem disponuntur, quibus centrum commune est. Ergo solida concrementa oriuntur a praecipitatione et solidatione urinosorum sediminum. Plures sunt, qui a differentia colorum et superficiei calculorum, chemicam eorum

naturam cognoscere contendunt. Haec vero indicia tuta non sunt; nihilominus albi calculi, aut cineraceo-albi, semper phosphatibus terreis componuntur, et illi sunt qui vocantur fusiles; calculi subnigri, aut fere nigri, qui sunt resistentis texturae, tuberculis et prominentiis obtecti, moriformes nuncupati, fiunt ex oxalate calcis; calculi qui superficiem praeseferunt inaequalem, crystallinam, splendentibus et translucidis conspersam particulis, ex phosphate ammoniacae et magnesiae construuntur.

§. 1332. Quamvis tot notiones circa calculorum componentia comparatae sint, tamen definiri non possunt remotae caussae, quae ad eorum formationem concurrunt. Ab antiquis usque temporibus hae caussae in ciborum et potionum qualitatibus inveniebantur, ex quibus calcareae et terrosae substantiae intromittuntur, ut usus animalium testaceorum; aquae terris plenae; etc; sed huic vetustae opinioni plures hodierni scriptores adversantur. Etsi vero cibi et potiones generalis caussa calculorum non sint, indubium mihi videtur, quin caussa sit valde

frequens, praevia dispositione, quae ut plurimum haereditaria est, aut a climate dependens. Et requidem vera magis patiuntur calculos, qui substantiis rudibus, crudis, digestu difficilibus vescuntur; aut alimentis azoto scatentibus, aut potionibus vinosis et spirituosis abutuntur. Inquit Berzelius nescire quomodo acidum oxalicum in urinam perveniat; sed notum esse quod quotidianus usus acidorum olerum, quae acidum oxalicum et oxalates continent, exiguos producit calculos oxolate calcis compositos, qui non amplius efformantur, cum hujusmodi vegetabilia relinquuntur. Refragantur etiam evidentioribus factis qui parum urinas ad formationem calculorum conferre arbitrantur, et judicant hanc potius a morbosa secretione membranae mucosae organorum urinariorum pendere. Inquiunt enim congestiones mucosas, et duritiem materiei albuminosae in viis urinariis aliisque partibus ansam calculis praebere. Hoc vero non excludit, pleramque calculorum urinariorum partem ab urinae sediminibus efformari. Diximus dispositionem ad calculos ut plurimum esse haereditariam, aut

a climate proficisci. Qui enim nascuntur a calculosis parentibus ferme laborant calculis; et in quibusdam regionibus calculi familiares sunt, ut in Batavia, et Britannia, dum rarissimi sunt in Hispania, et Africa. Verum enim vero aliae sunt res circumstantes, quae faciunt, ut homines calculosam dispositionem nanciscantur, ut ex. gr. inertia et torpor organorum urinariorum. Cum sub inertiae et torporis statu haec facultate contractili non polleant, naturali celeritate materialia calculorum expelli non possunt. Interdum eadem organa situs mutationem, compressionem, irritationem patiuntur, et hinc morbosae secretiones consequuntur. Per renum irritationem ad calculos proclives fiunt, qui diureticis abutuntur. Praeterea haec calculosa dispositio et ab aetate, et a sexu, et ab habitu corporis nascitur. Pueri et senes sunt caeteris magis ad calculos parati; homines magis mulieribus; temperamentum lymphaticum plus quam alia. Considerari etiam possunt ut praedisponentes caussae, existentia podagrae, vita sedentaria, diutinus decubitus in dor-

sum aut latera, nimis protractus somnus, nimis quoque porrectae vigiliae, frequens et producta urinae retentio.

§. 1333. Ab enumeratione symptomatum, et effectuum calculorum urinariorum, ex facili intelligitur quam periculosum constituant morbum. Cum nullum cognoscatur remedium, quod certe dissolvat calculos, si hi parvi, rotundi, et leves sint, sperari potest, quod sponte, aut artis auxilio expellantur; sed si magni, angulosi, asperi, inaequales, timenda sunt graviora symptomata, et miserandae consecutiones, ut atroces dolores, spasmi, convulsiones, inflammatio, suppuratio, gangraeua, et mors. Ut vero de calculis, qui in variis urinae organis sunt, aliquid seorsim dicam, cum illi renes teneant, interdum contingit abscessus, ex quo sponte egrediuntur; aut si secetur abscessus, educuntur, ulcere vero fistuloso et lethali manente. Vesicae calculus maxime periculosus est, praesertim in senibus, debilibus, macie confectis, alioque morbo vexatis. Cum vero parvus est, saepe per urethram expellitur; cum major

lithotomia extrahi potest, aut lithontripsi comminui. Maximum autem impendet discrimen, si vesica exulcerata et callosa sit; si renes et ureteres afficiantur; si in substantia renum alii subsint calculi. Ut autem circa vesicae calculum rectum instituamus praesagium, examinanda sunt symptomata, modo plus modo minus gravia. Urethrae calculus tam periculosus non est; tamen interdum urethrae ipsius inflammationem, et gangraenam infert. Quandoque hic calculus exiguus est, et expellitur; quandoque adeo ingens, ut ad duarum unciarum pondus perveniat. Post extractionem calculorum hujusce magnitudinis, cum magna canalis pars destructa sit, remanent fistulae; aut cum vesicae collum relaxatum admodum sit, urinae incontinentia relinquitur. Et cum in vesicae collo calculus valde creverit, post operationem fistula saepe insanabilis superest. Tum enim per vulnus labitur lotium, et etiam inutilis cannulae flexilis usus est. Verum si restringatur collum, decursu temporis sanatio speranda est. Si fistula consanescat, et col-

lum quod tam fuit protensum, non stringatur, urinae incontinentia remanet.

§. 1334. Si examinetur curatio, quae in calculos institui solebat antea quam per chemicas analyses eorum componentia cognoscerentur, empyricam penitus esse deprehenditur. Ferme enim in remediorum usu consistebat, quae resolvere calculos credebantur; dum nullum est remedium, quod eos indiscriminatim resolvat. Si autem consideretur curatio chemiae principiis innixa, fere prorsus hypotheticam esse intelligitur. Adhibentur enim remedia, quae calculos è corpore eductos solvunt; sed dum calculi in corpore latent, eorum chemica compositio ignoratur. Et etiam si haec compositio dignosceretur, remedia interius sumpta eorum actione ad resolvendos calculos non perveniunt. Aut enim alcalina sint, aut acida, eorum quantitas, quae immiscetur urinis tam exigua est, ut nihil in calculos moliatur, praesertim alicujus voluminis. Verum enim vero prius quam statuantur praecepta ad morbum tam difficilem, et saepe artis conamina eludentem curandum, utramque me-

thodum perpendere mihi videtur, quae antea et postea chemica adinventa usurpabatur. Prima lithontripticorum usu continebatur. Ex hisce celebre fuit specificum mulieris Stefens, quae hoc ex ovorum putaminibus et cochlearum conchis in calcem redactis composuit; quibus ad removendam alvi duritiem, quam ab hisce inferri observaverat, saponem venetum, aut hispanicum adjunxit. Hoc specificum prius fautores et detractores magni nominis invenit, deinde obsolevit. Etenim plurimis nocumentum attulit, et etiam urinas sanguineas concitavit. Sic praedicabantur sapo venetus; aqua calcis; eodem tempore usus aquae calcis, et saponis; aquae minerales acido carbonico scatentes; pulvis foliorum uvae ursi, baccarum juniperi, et alia plura. Haec lithontriptica interdum vere profuerunt; interdum valde nocuerunt; interdum neque utilia, neque nocua reperta sunt. Inquit Sauvages bonos effectus aquae calcis vidisse, si per plures menses et annos adhiberetur, et eodem tempore albus sapo sub forma pilularum porrigeretur, praesertim ubi alvus adstricta sit.

Alii etiam affirmant, absque damno diu exhibitam fuisse aquam calcis, praesertim lacti junctam. Alii contra contendunt, magnam quantitatem aquae calcis admodum officere, gravesque morbos, potissimum phthisin producere. Pulvis foliorum uvae ursi per aliquem mensem ad quindecim grana quotidie exhibita interdum juvit, solvitque calculos, praecipue teneriores. Interdum autem maxime obfuit; nam vesicae mucum abradit, dysuriam auget, et urinas cruentas promovet. Quapropter si in usum vocare velimus uvam ursi, praeferenda est hujus infusio, quae fit foliorum drachma, per triginta aut quadraginta dies sumenda. Hoc simplici auxilio pluries vidi calculos cum urinis egredi in minima frustula redactos, dum plura alia remedia effectu carebant. Et cum etiam infusio exasperet dysuriam, illa potest caprino lacti utiliter immisceri. Sic fere de aliis linthontripticis dicendum est. Curatio autem chemica duobus innitur principiis, videlicet aut secretio lithica praevalet, et tum efficacia putantur alcalina; aut suprabundant salia calcarea, vel magnesica, et tum con-

ducibilia judicantur acida, praesertim muriaticum. Cum hoc praescribitur, incipiendum est ab aliquot guttis aqua dilutis; et bis aut tertio datur in die. Cum autem aliqua substantia alcalina porrigi velit, exhiberi solet pro potione aqua sodae. Quoniam vero diathesis acido-lithica ad duas tertias partes calculorum urinariorum producendas contribuere videtur, Mangendie, Prout, aliique ad hanc diathesin perimendam proposuerunt methodos, quas commemorare relinquo, cum observantiam diaetetici regiminis valentiorem esse methodum mihi persuasum sit. Quidam autem ad hanc diathesim excutiendam nonnulla suadent remedia, quae prospere interdum successerunt, ut carbonas potassae. Deinde existimatum est, alcali causticum, sub forma liquoris potassae, ejus carbonate esse efficacius. Haec vero remedia saepe nullum attulerunt levamen; nec tam diu absque ventriculi laesione dari possunt. Home, et Hatchet utilitatem magnesiae detexisse crediderunt. Sed hoc remedium fere reperitur inefficax; et interdum etiam nocuum esse potest. Frequenter enim magne-

sia est calculorum basis, qui scilicet phosphatem magnesiae et ammoniacae continent. Cum ergo diversas calculorum urinariorum species discernere non possimus, quodvis remedium secundum chemiae principia usurpatum incertum est et saepe damnosum. Et quoniam chemici ipsi fere nunquam ad resolvendos urinarios calculos remediis interius sumptis pervenerunt, cum hujusmodi calculi in vesica sunt, injectiones ex resolventibus medicamentis experiebantur. Priusquam vero Fourcroy et Vauquelin solventes injectiones praescripsissent, illae ex aqua calcis tentabantur, quae utpote inutiles, intolerabiles, et nocuae relictae fuerunt. Praefati chemici asserebant, lixivium potassae et sodae, quod deglutiri posset, emollire et solvere exiguos calculos, qui acido urico, et urate ammoniacae componuntur; liquorem acidulum factum acido nitrico, aut muriatico, etiam citius dissolvere calculos phosphate calcis, et phosphate magnesiae et ammoniacae compositos. Asserebant etiam, calculos oxalate calcis efformatos, qui solutu difficiliores sunt, molliores fieri, et etiam

dissolvi acido nitrico valde diluto, dummodo satis in hac mixtura serventur. Haec pericula peragi possunt in calculos extra corpus; sed dum in vesica manent, quae tam sensibilis et irritabilis est, et jam a calculis lacessita, exposita remedia maximum laederent, cum irritationes, et dolores augerent, et exitiosos effectus inducerent. Praeterea contra horum usum eadem valet jam prodita consideratio, scilicet cum calculorum componentia non cognoscamus, tuto eligi non possunt injicienda remedia. Si igitur solvens acidulum adhiberetur, ubi alcalinum expediret, et contra, non solum non solverentur, sed potius augerentur calculi. Ergo chemica curatio est omnino hypothetica, et rejicienda sunt remedia in vesicam immittenda. Videamus itaque quae pro cauta et rationali curatione praecepta sint; et in primis consideremus quae generatim in calculos conferunt; deinde quae in illos, qui diversam sedem in urinariis organis habent.

§. 1335. Plures sunt indicationes generales, quae pro calculorum urinariorum

curatione statui possunt. Prima consistit in eorum formatione removenda, praesertim in illis, qui ad hunc morbum inclinant; secunda in promovendo calculorum exitu; tertia in demulcendis symptomatibus; quarta in tentandis remediis, quae nonnunquam feliciter resolvunt calculos, aut saltem dolores, et mingendi difficultatem imminuunt. Quoad primam, ignota sunt auxilia, quae calculorum formationem amovent; sed quia saepe a cibis et potionibus, ut demonstravimus, orinntur calculi, in primis juvat accuratum diaetae regimen, et omnes remotas caussas diligenter fugere. Quoad alteram, si calculi sint parvi, leves, rotundi, non raro cum urinis, et sine gravibus molestiis exeunt. Sed quia non semper id evenit, vix comparent calculorum signa, eligere debemus quae absque ingenti stimulo urinae secretionem augent, ut levia diuretica. Fortioribus enim asperiora fierent symptomata, et urinae cruentae. Conveniunt igitur radix eryngii, ononidis, petroselini; dilutum baccarum juniperi, quod lacti caprino admisceri solet; virga aurea; infusio

foliorum uvae ursi : et eodem tempore quae leniter alvum movent , praesertim olea: balnea tepida , semicupia , fotus. Praeparcus , blandusque sit victus , et potui dentur decoctiones diluentes , mucilaginosae , ut hordei , florum malvae , violarum . Denique commendanda est animi quies , modica corporis exercitatio , et fuga ab omnibus , quae calculorum symptomata concitant , ut coitus , abundans alimentum , abusus vini et spirituum , motus vehemens , sedentaria vita. Quatenus ad tertiam , cum ita dolores et spasmi excrucient , ut inflammationis imminent periculum , secentur venae , applicentur hirudines haemorrhoidalibus vasis , aut circa renes , ureterum tractum , et perinaeum . Praeterea subveniunt balnea tepida , semicupia , fotus , et clysteres emollientes , olea exterius et interius adhibita , decoctiones florum malvae , radicis althaeae , salep, postremo quae sedant . Sed quia calculorum dolores a diversis caussis saepe exasperantur , hae diligenter perpendantur, ut scite seligantur auxilia. Denique ad quartam indicationem explendam , quae

juvant, aut laedunt observentur, ut medicamen inveniatur, quod nisi solvat calculum, demulceat symptomata, et urinae secretionem meliorem reddat. Si hoc modo procedamus, nunc sapo venetus, nunc aqua calcis, nunc aqua acidula sodae, nunc carbonas potassae, nunc folia uvae ursi auxilium dabunt.

§. 1336. Pro curatione autem calculorum spectandae sunt diversae eorum sedes. Si enim in renibus aut ureteribus subsint, exposita valent generalia praecepta. Verum enim vero animadvertere est, quod dum calculi renum tales sunt, ut exitus sperari non possit, quidam ad eos educendos nephrotomiam defenderunt. Haec operatio in profunda lumborum incisione consistit, quae usque ad pelvim, vel substantiam renum penetret, ut inde eripiatur calculus. Sed quis non videt argumenta, quibus respuenda est operatio, quam exequi impossibile est? quis non prospicit quae ab ea futura sunt? Cum autem calculus sit in vesica, dum praecepta generalia satis non sunt, aut abducendus est lithotomia, aut lithontripsi conterendus. Si

prima uti velimus, nimis retardanda non est, ne calculus tam ingens acquirat volumen, ut ejus extractio anceps et difficilis reddatur; et ne vesica vitia contrahat inemendabilia. Et ubi jam ad insigne volumen pervenerit, tutius peragi videtur lithontripsis, ut illustrium chirurgiae professorum observationes comprobant, praesertim Pauli Baroni, qui de hac operatione, quam pluries feliciter perfecit, elegans exaravit opusculum, iconibus instrumentorum ditatum. Si vero calculi in urethra sistant, inquirenda est pars, cui haerent. Si calculus sit in fovea naviculari, oleo lubrica reddatur via, et cum ingens non sit abstrahatur volsella; sed si fieri non possit, secundum chirurgiae praecepta, glans secanda est; si in recta urethrae parte, ut evitetur operatio, adhibeantur emollientia, et relaxantia, ut fotus, cataplasmata, semicupia, balnea, immersio penis in oleo, injectiones oleosae, quae dum fiunt, ne calculus retrocedat, retro ipsum molliter urethra prematur, quin irritetur pars. Potiones potius liberales juvant, ut major urinae vis calculum possit detrudere. Motus

autem corporis modicus esto. Si haec evanida sunt, ad chirurgiam spectat calculum abducendi tentamen; et ubi hoc etiam irritum est, instituatur operatio, maxime si urinae retentio urgeat, scilicet incidatur urethra super eundem calculum, in quocunque loco ipse sit. Sic si calculus in curvatura urethrae sistat, injectiones oleosae, et alia exposita auxilia tententur; at si omnia infructuosa sint, vitari non potest operatio, ut si ipse in vesicae collo commoretur. Tandem si sub praeputio abscondatur, operatione phimosis auferendus est, secus inflammatio et gangraena consequi possent. Sed hactenus fuit quod a me de retentionibus scribi potuit.

FINIS TOMI SEXTI.

INDEX

CLASSIS VI. *Retentiones*
Generalia de retentionibus pag. 5
ORDO I. *Retentiones substantiarum recrementitiarum*
GENUS I. *Pneumatosis* 22
GENUS II. *Polypionia* 51
GENUS III. *Hydrops* 63
ORDO II. *Retentiones substantiarum excrementitiarum alicui usui inservientium*
GENUS I. *Galactepischesis* 231
GENUS II. *Icterus* 245
ORDO III. *Retentiones substantiarum excrementitiarum purgationi corporis inservientium*
GENUS I. *Ischuria* 269
GENUS II. *Dysuria* 301
GENUS III. *Stranguria* 307
GENUS IV. *Coprostasis* 310
GENUS V. *Amenorrhoea* 320
GENUS VI. *Lochioepischesis* 341

ORDO IV. *Retentiones substantiarum heterogenearum*

GENUS I. *Vermes* pag. 353

GENUS II. *Corpora cartilaginea et ossea in articulationum capsulis* 406

GENUS III. *Calculi* 411

Digitized by Google

NIHIL OBSTAT

Carolus Porta Censor.

NIHIL OBSTAT

Fr. Reg. Augustinus M. Ferrara Mag. Carmelit.
Calceatus Censor Theologicus.

IMPRIMATUR

F. Angelus V. Modena O. P. S. P.M. Socius.

IMPRIMATUR

N. Archiep. Myran. Locumtenens.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PREZZO DEL PRESENTE VOLUME

Bajocchi 60.

FARNESI ALFREDO
Legatore di Libri
ROMA
Via S. Nicolò da Tolentino 13